

# **DISTICHA CAECILIANA**

## **DISTICHA QUINTILIA MMIV**

**In Ephemeridem conditam**

Parthorum in terris quae nostra aetate geruntur,  
quae Daciae populus hisce diebus agit,  
accipimus prisco Tulli sermone relata.  
Macte animo vos, qui tale creastis opus!  
Varsoviae Fennis facundis aemula nata est;  
di coeptis faveant multaue saecula dent!  
Arte nova mundum transcurrat prisca loquela;  
omnes per gentes floreat et vigeat!

## **DISTICHA SEXTILIA MMIV**

**De inventis consilii, qui a parlamento Americano institutus est, ut perscrutaretur, num CIA et FBI ante cladem turrium Novi Eboraci quicquam in tromocratarum consiliis detegendis neglexissent**

O qui tutores patriae pacisque cluetis,  
quid tutela suo profuit haec populo?  
Innocuos cives nimio scrutamini zelo,  
suspectus vobis iam fere quisquis erit;  
quam vestrum est defendere prudenterque tueri,  
libertatem illam tollitis ex patria.  
At sicarius et sceleratus quisque periculum  
cui vult ferre homini perniciemque potest.  
Aeris in portu septennis ecce puella,  
quam custos retinet, flet misera atque timet;  
ire vetat custos, septennis forte puella  
ne globo mortifero dilaceret comites.  
Ipsius autem Attae licuit transire sodali,  
armatus cultro aethera cum peteret.  
O qui tuTores patriae pacisque cluetis,  
tali praesidio vos eritis populo?

## **DISTICHA SEPTEMBRIA MMIV**

**De signis radiophonicis ab observatorio Arecibo in Portu Diviti ("Puerto Rico") acceptis, quae propter frequentiam radiorum (1420 MHz) ab "extraterrestribus" misa esse posse putantur (cf. nuntios fasciculi 11):**

Summo in monte Arecibo, nocte ubi saepe serena  
pervigilant homines, noscere qui cupiunt  
stellarum occultos motus arcanaque caeli,  
ars nova quae nuper terrigenis aperit,

stant commoti animis vehementer multa loquentes  
pauci; parvus enim his fere temporibus  
stellicolarum fit numerus, vulgoque putatur  
hoc caeli studium omne supervacuum.  
Quid plebi, cuius casulae totum fere montem  
spargunt, cum stellis? Nil remanet liberi  
inter spem curamque, timores inter et iras  
illis atque famem; sidera ament alii!  
Hic tamen, hic noster grex parvus stellicolarum  
commotis animis disputat atque avidis;  
rarus namque hodie tam mane nuntius illos  
eripuit somno: "Signa recepta nova!"  
"Signa" inquit virgo, noctu quae resque locumque  
sola tuebatur, "signa novi generis  
ignoto prolata loco e tenebris vigilanti  
advenere mihi..." Iam cupide socii:  
"Dic, quibus ex radiis? Quae signa? Frequentia quanta?"  
Estne novum sidus, luna reperta nova?  
"Mille quadringentis megahertzibus addite dena  
bis, et habebitis..." ait. Obstipuerunt alii.  
Mille quadringentis ... bis dena ... frequentia talis  
non ullis stellis sideribusve quadrat.  
Stantque tacentque diu, parvo dein murmure primus  
"Nuntius est", inquit. Nuntius! Iamque alii  
audent hanc vocem profari: "Nuntius!" Estne  
vere aliquod signum alterius populi  
sidere viventis longinquo? Forsitan illis  
nec noster patrius lacteus orbis erit?  
Ignoti, salvete, sodales! Laeta per omnem  
vox volat haec mundum: "Signa recepta nova!"

## **DISTICHA OCTOBRIA MMIV**

**De vi electrica ope venti facienda (cf. Nuntios Breves fasciculi 16):**

Nocte super maris undas ventus saevit hibernus;  
aestuat inque altum turgida surgit aqua.  
Fallitur usque oculus lucisque umbraeque fugacis  
vicibus alternis; saevus enim Boreas  
obscuris lunae fulgentem nubibus orbem  
nunc celat, nunc aperit, nunc tegit nocte nova.  
Caeca tamen cum nox de caelo forte recedit  
scintillae et similis spumea gutta micat,  
effulget radiis ingens celsusque colossus,  
firmus qui in saevis fluctibus et rapidis  
stans vim frangit aquarum; strident vertice summo  
alae, quas celeri turbine ventus agit,

pernicies infesta, errans si forte volucris  
dira vi Boreae rapta erit inter eas.  
Interea cives tutis in moenibus urbis,  
litore quae distat milia multa maris,  
dicunt: "Iam, pueri, nox est; accendite lucem",  
ad mensamque sedent dapibus et calidis  
ferventique fruuntur potu perque fenestram  
spectant, saeviat ut dira procella foris.  
Clausa crepat venti quassata furore fenestra,  
franguntur veteres ante domum salices.  
Gaudent et pueri pavidi, gaudentque parentes  
exclusum Boream seque sedere domi  
tutos ad mensam placide candente lucerna.  
At tamen is Boreas, quem metuunt pueri,  
is procul hinc alas fulgentum versat molarum,  
quae ventorum vi vim faciunt aliam.  
Huius vi Boreae lucent hac nocte lucernae,  
huius vi Boreae potus et esca calent.  
Huius vim Boreae, pueri, nolite timere;  
si sapitis, vobis gratus amicus erit!

## **DISTICHA NOVEMBRIA MMIV**

**De senatoribus insulae Formosae (Taiwan) catinis inter se pugnantis (cf. Nuntios fasciculi XIX)**

O mores, o tempora ! Formosissima longe  
remota a nobis insula quos genuit,  
summi quique viri (forsan et femina?) eorum  
pugnant nunc aula ut pueri in media.  
Collegam collega, senatoremque senator  
furata a cena ecce ferit patera.  
Nostris in terris tam clementes perhibentur,  
mites et placidi illi Asiae populi!  
Nil tamen hi fecere novi, nam cineris olim  
pocula iactabant alter in alterum ibi,  
vasibus et florum decore ornantibus aulam  
pugnabant idem tempore praeterito.  
O mores, o tempora! Certe multa relata  
Gracchi ex tempore sunt, Caesaris et Bibuli;  
nemo autem flores iactavit, sordida numquam  
Tulli, crede, toga cinere aquave fuit.  
Desunt nunc flores, desunt et vasa cinisque  
in Formosae aula, ut maneat pietas.  
O venerande senator, fecisti sapienter;  
attulisti illud, quod tibi adhuc licuit.

Nunc tamen et pateras praeses afferre vetabat ;  
forsan permittet nec telephonula mox ?  
Qualia abhinc ergo arma, senatores, capiatis ?  
Pugnetis baculis, esca quibus capitur!

## **DISTICHA DECEMBRIA MMIV**

**Novus rex Iudaeorum natus?**

**Magi orientales dicunt se signum in caelo vidisse - Herodes timet aemulum**

Ex Ephemeride: A servis Herodis, regis Iudaeorum, auditum est tres astrologos ex Herode quaesivisse, ubi novus rex esset, ut eum salutarent. Dixerunt se stellam crinitam vidisse, quae apud Iudaeos regem natum esse indicaret. Astrologi ante decem dies Hierosolymam in aulam regiam venerant et colloquium cum rege petiverant. Servi regis dicunt eos ex aliqua terra ad orientem sita oriundos esse, fortasse e Parthis. Apud populos Mesopotamiae astrologia iam multa saecula colitur magnique aestimatur. Herodes, cum inter cognatos suos nullum puerum nuper natum habeat, nunc usurpatorem timere fertur.

Iudaea in terra rex natus dicitur esse  
nunc novus: Herodem tres adiere magi  
narrantes signum monstratum caelitus esse.  
Iam timet Herodes: "Ecce modo genitum  
nec generis nostri puerum nec sanguinis", inquit,  
"qui Iudaeus rex dicitur esse novus!  
Quandoque ergo me gnatumve occidet, ut ipse  
usurpet regnum? Interimendus erit!"  
Stultus es, Herodes: tibi nil feret ille pericli.  
Mule, nihil sentis? Rex habet ille novus  
regnum, in quo tibi non umquam fuit ulla potestas,  
rex grandis, nec erit. Non cupit id solium,  
quod tibi Romani domini domique dederunt.  
Regna tuum regnum, regule, iam placidus!

## **DISTICHA IANUARIA MMV**

**Quae die inundationis, scilicet a. d. VII Kal. Ian., in insula Sri Lanca acciderint:**

Est Sri Lancae in ora magnus publicus hortus,  
errantes multae quo variaequae ferae,  
angues, sauri, elephantum et magni rhinocerotum,  
vivunt securae: nullus eis hominum  
insidias parat rete venetatave sagitta,  
dentes ut vendat, cornua vel corium.  
Sunt tamen hic homines: sunt custodesque ferarum  
atque viatorum per loca vasta duces.  
Magnus enim numerus toto fere confluit orbe  
huc hominum: Galli atque Poloni, Itali,

Angli Germanique, Iapones photographantes,  
 omnibus e terris conveniunt cupidi  
 nandi fuscandique in lumine corpora solis  
 spectandique feras; nam cupiunt homines  
 - iam nimium tuti - longinqua videre pericla:  
 angues e curru nunc variasque tigres  
 spectant atque horrent vanoque timore fruuntur.  
 Sed non tam tuti, credere quam cupiunt,  
 sunt homines, nec sunt tantum spectacula vana,  
 quae natura illic praebet eorum oculis.  
 Dirus quando aderat festum ante anni incipientis  
 - postremus multis - septimus ille dies,  
 mane viatorum prima grex exiit luce  
 in curru cupidi multa videndi hodie.  
 Obvius his currit perterritus ecce elephante  
 ad montes fugiens; iamque alius sequitur,  
 tertius et plures; dein parvus, qui modo natus,  
 quantum quit, matrem post pavidam properat.  
 Quid timuere, quibus nec tigres sunt metuendi?  
 Quid fugiunt? Quid tam terribile esse potest?  
 Dux vertit currum et festinat post elephante,  
 ut comites mortis faucibus eripiat.  
 Dum fugiunt nemorosa per avia, conspiciuntur  
 ecce Iapones, qui fronde super viridi  
 delectant animos escis potuque fruentes.  
 Dux clamat ex curru: "Aufugite hinc!" Sed ei  
 nil curant: remanent tranquilli et prandere pergunt.  
 Dein periere: omnes obruit unda maris.  
 Interea grex noster montis culmine ab alto  
 diluviem spectat incolumis, similis  
 Pyrrhae et Deucalioni. Contemplantur aquarum  
 fluctus terribiles, omnia qui rapiunt.  
 Attamen toto in horto bestia mortua nulla,  
 apparuere illic nulla cadavera post.  
 O homines, censetis vos solos sapientes;  
 nonne Iaponum sors vos meliora docet?

## **DISTICHA FEBRUARIA MMV**

Ex Ephemeride: Migratores illegitimi, qui Hispaniam habitant, tempus extraordinarium  
 ad ius ciuitatis regulandum usurpare iam possunt usque ad mensem Aprilem. Operae  
 contractum, inter alia necessaria, monstrare debebunt, qua pro causa hoc temporis  
 interuallo negotiatores non punientur, qui nunc sub contractu migratorem conducant,  
 quamuis antea illegitime idem fecissent. Contra, strenue minantur illi negotiarores qui,  
 tempore extraordinario peracto, in potestate illegitimum habeant ullum. Exis-timatur

inter milionem et sesquimilionem petitionum accipientur. Nescitur autem quot ad effectum educere poterunt.

Pauperiem fugientes qui venere per undas  
parvis per noctem naviculis timidi,  
auferrent ne custodes vigilesque sagaces  
spem parvam vitae mox melioris eis:  
qualem nunc degunt vitam? Nunc non sua saepe  
praediaque et fruges nocte dieque colunt.  
Candida sub Phoebō panduntur plastica vela;  
quoquo oculos vertis, plastica vela vides.  
His subter properant Afrique Arabesque coloni  
talparum similes. Quid pro tanta opera  
accipiunt? Vix quicquam. Sed mercedula parva,  
aegre quae satis est, impleas ut stomachum,  
*pauperis et tuguri congestum caespite culmen* (1)  
numquam eis tutum est; semper enim metuunt,  
Hispana in terra clam viventes peregrinos  
ne custos capiat atque retrudat eos  
in patriam. Sed abhinc non vexabit timor illos:  
permittetur eis expetere, ut liceat  
posthac et clandestinis hic iure manere.  
Tunc si aderit custos, non metuendus erit.  
Tuti securique laborent esuriantque.  
O Hispania, nil praebebis melius?

(1) ex Vergilii Ecl. I

#### **DISTICHA MARTIA MMV**

**De Paulo Schaefer ("Pastore"), "Coloniae Dignitatis" duce, in Argentina capto (cf. Nuntios fasciculi 38).**

Errabat quidam Bavarorum in finibus olim  
nomine Pastoris ecce propheta dei.  
Ipse quidem se saepe praedicat esse prophetam;  
sectantur multi et venerantur eum.  
Mox tamen est inventus paedicator, et exul  
paucis cum aseclis effugit in Chiliam.  
Desertoque loco deinde ampla colonia ab illis  
conditur in Chilia, qua patria profugus  
utque deus colitur Paulus vetat utque tyrannus,  
quidquid turpe putat: scilicet omne novum.  
Priscis hi similes Bavaris cultuque habituque  
agros pro Paulo nocte dieque colunt.  
Viribus electricae carent actisque diurnis;  
remota in longe priscaque saecula te

illuc si quando venies, rediisse putabis -  
si, dico, venies; tota colonia enim  
carceris ingentis similis circumdatur illa  
moenibus armatis acribus et canibus  
ferri et filis spinosis; ni duce volente  
ingredier nullus, nullus abire potest.  
Lustrum iam decimum degunt mundum latitantes.  
Ecquis remotam inter eos patriam  
unitam tandem longo post tempore novit?  
Maiorum similes solis ab ortu in agris  
occasum usque illi multum dureque laborant  
nec fruges retinent: omnia sunt domini.  
Qui non semper oboedit nec pro duce laborat,  
verberibus multis vapulat is misere.  
Otium non ullum a Paulo conceditur illis,  
ne curent Venerem; namque docet Venerem  
Pastor eos quasi fontem omnis sceleris metuendam.  
Si modo mens breviter vertitur ad Venerem,  
hoc putat esse nefas. Iam vix differre videtur  
haec Venus a Satana. Femina virque modo  
ne qua convenient, acriter noctesque diesque  
ille suo servat de grege Pastor oves.  
Quin etiam pueros parvos tenerasque puellas  
matribus eripit is, aedibus inque aliis  
curari iubet hic pueros, aliisque puellas.  
Tantum stupra timet! Quid tamen ipse facit?  
Non ullam noctem solus cubasse putatur.  
Sed non Pastorem femina amica iuvat:  
Impubes pueros divinus diligit ille.  
Macte, Paule, animo! Nil tamen ille novi  
fecit: namque homines vitiorum saepe suorum  
insectatores esse solent avidi  
erga alios, ut se ipsi possint credere puros  
a vitiis illis, quippe aliena putant.  
Quin etiam "Dignitatis" dicis, Paule, "Coloniam",  
in qua degitur haec tam digna vita tibi!

## **DISTICHA APRILIA MMV**

**De tabernis eroticis in via Iohannis Pauli II. sitis (cf. "Nuntios Breves" fasciculi 43)**

"O cives, cives, quaerenda pecunia primum;  
virtus post nummos", ecce vates cecinit.  
Nil ergo sub sole novi; nam tempore nostro  
auri num liquit sacra fames animos?  
Est via Varsoviae, media quae extenditur urbe,

ampla atque illustris nomine nec minimo  
Pauli pontificis praeclare ornata Iohannis  
pergrati populo. Si tamen ipse ibi nunc  
ibis forte Via Pauli, sicut tuus est mos,  
nescioquid meditans, qualia conspicias?  
Ibis per Venerisque tabernas perque Priapi,  
turpia ludicra ubi sumere quisque potest,  
dummodo sufficiunt nummi. Pecunia nempe  
primum quaerendast; quid valeat pietas  
nostris temporibus, quando ipsa in gente Polona  
- illa, quam superat vix pietate alia -  
auri sacra fames cogit nummis pietatem  
cedere? Quisquis ad hanc vivit in urbe viam  
civis honestus, hoc esse dedecus atque nefandum  
credit. Quid tamen hoc tempore iam faciat?  
Lucrum qui cupiunt, toto dominantur in orbe  
nec segura manet tam pia gens ab eis!

v. 1-2: Horatius

v. 4: Vergilius

v. 9-10: Horatius

## **DISTICHA MAIA MMV**

**Antiqui Romani utebantur lagoenis vini spumantis (videte breves fasciculi 49).**

Nil sub sole novi, nostro nec tempore primum  
luxus erat cordi deliciaeque homini.  
Quin etiam Romani antiqui temporis olim  
isdem, quas nostras credimus atque novas,  
deliciis gaudebant. Mirum namque repertumst  
doctis, qui terram Italiae perarant  
fertilem, ubi quondam pauperque colonus arabat  
divitis et domini mancipia et famuli  
sole sub ardenti vincti ingemuere catenis,  
docti plurimi ibi nunc fodiunt homines  
non propter fruges - quid nostro tempore fruges  
legibus Europae dantibus agricolis  
iam nimium navis tum denique praemia magna,  
agri si cessant efficiuntque minus? -,  
immo ut quisquillas domini priscique coloni  
inveniant, videant, naviter examinent.  
Nam quaecumque homines maiores eiciebant,  
scissas et tunicas ossaque vasaque et aes,  
minorum doctissimus haec nunc quisque requirit  
summo cum studio: ossaque vasaque et aes.  
Et re vera aliquid longo labore repertumst:



vasa novi generis praedita cervicibus  
longis atque angustis oraque cortice clausa.  
Quid fecere, inquis, vasibus his homines?  
Vasibus his domino spumantia vina ferebat  
vilicus a villa, ille ut in urbe suis  
spumea mulsa et miranda praeberet amicis.  
Iam sub sole nihil esse novi fateor!

## **DISTICHA IUNIA MMV**

**De "vectigali pinguitudinis", quod medici Europaei cibis insalubribus imponere volunt**

*Aurea prima sata est aetas, qua mora rubeti,  
arbutusque et fraga esca fuere homini  
et, quae deciderant patula Iovis arbore, glandes.*  
Tunc hominum, credo, nullus obesus erat!  
Dein, iam deterior, subiit argentea proles,  
iam primum sulcis obruta sunt Cereris  
semina tum, pressique iugo gemuere iuveni.  
Pulteque alebantur paneque dein homines.  
*Flumina non lactis, non flumina nectaris ibant,  
piscibus occisis vivitur atque feris.*  
Si tamen illa aetas nostrae confertur, amice,  
aurea profecto esse videtur adhuc.  
Laridaque et botuli pingues dulcesque placentae,  
tam communia nunc, vix aderant homini.  
Et si quando aliquis paulo plus ederat olim,  
numquam erat is crassus; solis ab ortu in agris  
usque laborantis fecerunt larida sumpta  
non ventrem crassum, bracchia sed valida.  
Nunc autem quid edunt homines? Terrestria poma  
assa in multo oleo crustulaque e sacharo.  
Quin etiam infantes has delicias adamarunt:  
Irata fletu fessaque mater emit.  
Nec sectamur apros nec ut olim argentea proles  
insudamus agris nunc agimusque boves.  
Degimus iam vitam noctesque diesque sedentes;  
rete, orbem totum implicitum quod habet,  
immoti in sella longe latequeque vagamur.  
Hic nobis labor est; arva neglecta iacent.  
Quid tamen iam liberi faciunt? fortasse requires.  
Non illi omni aevo ludere, currere amant?  
Falleris, o lector. Iam follis rara movetur,  
iamque puellae nec funibus insiliunt  
nec puer insequitur fugientem saepe sodalem,  
parvus dux hostem prendere iam cupiens;  
ast infans teneris fabellas spectat ab annis,

matri ne sit onus, dulcia dona vorans.  
Paulum cum crevit, totum cingentia mundum  
retia iam temptat nilque nisi digitos  
mox alacris versat, nota iam callidus arte  
et morem patris iam strenue referens.  
Ergo quid mirum, si iam pueri atque puellae  
crassi sunt nimium? Saepe monent medici -  
frustra, nam quid consilium verbumque monentis  
exempla adversus prava valere potest?  
Nunc igitur suadent vectigal, sumptus ut auctus  
fortior exemplo efficiat, liberis  
dulcia ne tribuant fessi clamore parentes.  
Dique deaeque omnes consilio faveant!

### **DISTICHA QUINTILIA MMV**

#### **De iuvene Brasiliano Londinii a militibus necato**

Non amat ire foras hoc tempore Londiniensis,  
non sibi videtur tutus in urbe sua.  
Undique iam metuit fatalia namque pericla:  
iam cedente die, iam veniente timet.  
Nam quidam iuvenes placidi, comes docilesque  
- a nimium dociles! - proposuere sibi  
dilacerare homines permultos, quippe putabant  
pergratum esse Deo hoc pietatis opus.  
Nunc poscunt homines, ut custodes militesve  
auctores tanti mox sceleris capiant,  
urbs ut tuta fiat civesque metu liberentur.  
At faciunt milites ecce pericla nova:  
credebant - quare? - sceleratum esse atque timendum,  
quin homicidam etiam, innocuum iuvenem.  
Persequebentur eum, ceperunt, dein trucidarunt  
en Brasilium fabrum, innocuum iuvenem.  
Non amat ire foras nunc Londinii, ! quicumque  
crines et nigros fuscam et habet faciem,  
forsitan et barbam; nam quicumque est peregrinus,  
quamvis sit placidus, nunc homines metuit,  
ne nimium timeant illum caedantque timore.  
"O ne quid nimium", vir sapiens monuit!

### **DISTICHA SEXTILIA MMV**

#### **De primo cane in Corea clonizato**

*In vetitum cecinere nefas incurrere gentem  
humanam vates temporis iam veteris (1)  
aequora cum primum temptarent ratibus olim,*

cum cepere ignem a genere Iapeti.  
Ridemus Kanti heredes tam prisca monentem,  
qualem nunc vitam nos ageremus enim,  
ni pridem proavi flammaram vim domuissent  
transissentque undas? Nos tamen his etiam  
isdem, quis veteres, curis nunc sollicitamur:  
ars nova quae invenit, num liceant homini.  
*In nova fert animus (2) decurrere limina semper,*  
igne et aqua domitis orbeque sidereo;  
more novo iam Promethei vult aemulus esse:  
fingit arte sua ecce animantia nunc!  
Iam genitus non pridem ostenditur ecce catellus  
iucundus, nitidus, vividus atque alacer.  
omen ut infaustum mundus tamen aspicit illum,  
nam canis hic genitus non genitoribus est,  
ut natura iubet: patre et matreque c! arentem  
in lucis radios edidit hunc medicus.  
Matri, quae peperit, alienus sanguine fetus;  
patri autem similis - heu, nimium similis:  
quisnam animal geminum genitori viderit umquam  
tempore Romano, iunius et gemino?  
Naturam totam eversam vates cecinissent,  
scivissent olim talia si fieri!  
Quid, medici si mox homines hoc more creabunt,  
iuniores patris qui quasi erunt gemini?  
Infans nascetur, qualem voluere parentes:  
flavus vel rufus, corpore sive humili  
sive procero; cuius geminum cupiatis,  
dicite! Sed vobis ille alienus erit.  
Forsitan autem non sub sole infantulus ille  
ut catulus ludet, quem genuere homines,  
sed nondum natus, catuli ut centum, morietur,  
frustra temptabant gignere quos medici.  
Forsitan et vivet breviter misereque, ut multa  
iam pecora aegrota more novo genita.  
Est modus in rebus, sunt certi denique fines;  
mortalis ne umquam se putet esse deum!

(1) Horatii Carm. I, 3, 25-28:

Audax omnia perpeti  
gens humana ruit in vetitum nefas.  
Audax Iapeti genus  
ignem fraude mala gentibus intulit.

(2) Ovidii Met. I

## **DISTICHA SEPTEMBRIA MMV**

## De balaena in litore Austro-Africano dynamito necata (cf. Nuntios fasc. 66)

Caeruleus placidusque novo sub sole iacebat  
aequor uterque modo incipiente die  
illa ad litora, quis Atlantiacum Placidumque  
distantia inter se maria longe alias  
Oceanum faciunt unum. Perrarus in oris  
his aspectus erat tam placidum mare, nam  
"Procellarum" homines promunturium hoc dixere,  
non iniuste, olim; dein voluere "Bonae  
Spei" iam, quippe omen metuentes, saeva vocari  
Saxa. Nihil prodest: litore non alio  
tot periere homines navesque ingentibus undis.  
Sed placidum ventis caeruleumque iacet  
nunc mare; iam currunt *pueri innuptaeque puellae* (1),  
conchis ut lectis, piscibus et sapidis,  
eiectos unda hesternis quos nocte reliquit,  
apportanda patri parva lucella fiant.  
Oceani iacet hic expulsa balaena profundo:  
ingens, humida adhuc, glauca colore fuit.  
Vix audent accedere eam pueri metuentes  
os magnum caudae verbera sive vagae.  
Cauda movetur namque cito per inania saepe  
aera; nil prodest: nare nequit misera.  
Paulatim siccescit; sub se non habet ultra  
aquam, qua libere perneciterque volet:  
duras nunc in harenas corpus pondere grandi,  
pergrandi premitur. Conspiciunt liberi  
aegre iam respirantem miseretque timentes.  
Ori iam propius ecce puella venit  
- haud multo propius tamen - et iacit ante balaenam  
piscem a se captum. Dein veniunt liberi  
audaces iam facti alii donantque balaenam  
escis proiectis; non tamen illa capit  
pisces et cancros pro dentibus accumulatos,  
sed caudae motu se liberare nitens  
frustra pulsat harenas, turbat, trudit in altum,  
iactantur lapides, resiliunt pueri.  
Iamque viri veniunt rei allecti novitate,  
mirantur beluam, fessa labore novo  
languidius quae nunc movet artus. Dein rogat unus:  
"Iam quid erit?" "Quid erit? Iam morietur", ait  
alter ei, "ne, Thabo, dubita!" Conclamat una  
voce caterva "O, ne", parvula, "ne pereat!"  
Commovet haec animos parvorum cura virorum;  
stantque tacentque omnes atque suos liberos

spectant plorantes, dein Thabo primus "Agamus!"  
hortatur comites, nititur et beluam  
vi summa in maris undas pellere. Iamque sodales  
se iungunt operi, viribus et validis  
trudunt atque premunt. Sed grandi mole balaenae  
fessi mox homines destituunt operam.  
Denique custodes iam litoris advocat unus,  
qui veniunt, spectant, vivere posse negant  
tam grandem beluam tam longe ex aequore pulsam.  
"Ne, ne, ne pereat!" collacrimant liberi.  
Custodes tamen affirmant certe morituram,  
unum praeberi hoc tamen auxilium  
posse: cito nulloque dolore interficiatur,  
mors ut sit mitis. Quo tamen illa modo  
tanta balaena necabitur? An fortasse veneno  
infuso venis? Plurima litra tamen  
illud poscet opus, dum denique corpore magno  
diffuso leto mors citior veniat.  
Vel forsán multo laceretur pulvere belli,  
pernicioso alias pulvere, miti hodie?  
Consilium placet; apportantur pulvere plena  
vasa, affixa quibus fila minacia sunt,  
mox ductura ignem, fatum adductura balaenae,  
Parcarum tenera atraque fila trium.  
Alligat en capiti beluae custos moriturae  
magna cum cura vasa ea letifera,  
tam grande ut caput ictus primus scindat et unus,  
exhalet vitam ne cruciata diu.  
Longius a belua liberique virique recedunt  
iam timidi, fixos nil tamen hinc oculos  
deflectunt. Iam flammam filis admovet unus  
nunc custos parvam: corripuntur ea  
scintillis minimis, tenui stridentia voce;  
mergi videtur murmure paene maris.  
At tonitrus subito per litora resonat ingens  
effulgentque ignes resiliuntque homines.  
Truncus iacet beluae, nuper quae pulsa profundo;  
ingens, humida adhuc, glauca colore fuit.  
Funditur ecce cruor rubicundas inter harenas;  
collacrimant liberi: "Cara balaena, vale!"

(1) Ex Ovidii Tristibus

## **DISTICHA OCTOBRIA MMV**

### **De Vespero Omnium Sanctorum**

Omnes per vicos hac nocte cucurbita candet  
 multis in terris, dona petunt pueri  
 Europae cum per gentes, tum trans mare magnum,  
 per quod mos olim venit in illa loca,  
 ex quibus ad nos nunc rediit lenteque crebrescit.  
 Illic autem, ubi iam saecula multa viget,  
 morem illum servat celebratque vel ultima Thule.  
 Est locus in Canada, exiguus numerus  
 quo vivit en hominum usque lupis vicinus et ursis  
 magnis atque albis; niveus ille color  
 totam illic hiemem longam, dum nocte perenni  
 terra omnis tegitur nive rigetque gelu,  
 ursum vel grandem celat a visu, donec usque  
 in semitas vici fame iubente venit.  
 „Vestem quam tibi sumere festivam hoc cupis anno  
 Vespere Sanctorum?" ecce magister ait  
 in ludo pueris. „Ursi", plerique reponunt.  
 Grandis, formosus, fortis et albus erit,  
 Arctoi qui habitum vel vestibus assimilabit,  
 mirandusque aliis atque verendus erit!  
 „Quidque agitis, prudenter! " eos monet ille magister.  
 „Num nescitis, quam multa pericla ferant  
 gaudia, quae cupitis?" Nemo est, qui nesciat. Ursi  
 errant haud rari per fora perque vias;  
 noctu qui videt „ursum" alium, fortasse pugnabit,  
 aemulus ut pereat. Atque homines etiam,  
 si procul aspiciunt ursum, oppugnare conantur  
 sive necare. Puer, qui voluit sociis  
 horrendus fortisque videri veste aliena,  
 mox ipse horrebit, cum fera sive homines  
 vesti illi nimium credent. Tamen hoc etiam anno  
 multi se esse ursos assimilant pueri.  
 Tam multum cupiunt magni fortesque videri.  
 Parvule, quid tu alio tempore vir facies?

## **DISTICHA NOVEMBRIA MMV**

**De Veneris secretis investigandis (cf. Nuntios fasc. 73)**

Ex Ephemeride: Die Mercurii Europaeorum primum instrumentum siderale exploratorium  
 a portu Baiconur in Cazastania sito ad planetam Venerem feliciter profectum est. Sed  
 iam multo ante Europaei studium ad Venerem contulerunt. Ita factum est, ut etiam apud  
 Ciceronem principem illum umquam Latine scribentium scripta videmus haec: Infima est  
 quinque errantium terraeque proxima stella Veneris, quae Fwsforos Graece, Lucifer La-  
 tine dicitur, cum antegreditur solem, cum solem subsequitur autem, Esperoz. Ea cursum  
 anno conficit et latitudinem lustrans signiferi orbis et longitudinem, quod idem faciunt

stellae superiores, neque umquam ab sole duorum signorum intervallo longius discedit tum antecedens, tum subsequens. (Cic. nat. de. 2,53)

Nunc autem Europaei instrumentum exploratorium miserunt, quod compositionem aeris, qui est Veneri proximus, exploraret. Etsi enim nomine planeta aptissima est ad animos viro-  
rum doctorum alliciendos, re et veritate minime venusta est. Aer concretus atque crassus, qui ex nonagenis senis centesimis partibus (96%) dioxidi carbonii (CO<sub>2</sub>) et ternis (3%) nitrogenii (N<sub>2</sub>) constat, 480 gradus Celsius calet, 93 bar est pressio atmosphaerica. Quibus rebus vivi ibi nullo modo potest. Quin etiam vehicula exploratoria, quae Russi miserant, non diutius quam horas duas naturam loci sustinere potuerunt. Nuper Americanorum instrumentum exploratorium, quod Magellan appellabatur, novas res revelavit. Venus Express autem, quod est nomen vulgare instrumenti exploratorii, mense Aprili anni proximi ad Venerem appulsum iri exspectatur.

"Ne maledicas (1) Lucifero, iuvenis, veniente  
quo exis mane domo cum grege cumque pedo;  
namque domum te sidus idem labore peracto  
nomine mutato Hesperus et referet."

Sic cecinit vates. Nam a prisco tempore, caeli  
quo scrutabantur sidera primi homines,  
idem mane diem praenuntiat, vespere noctem  
Lucifer e caelo. Quin Babylonii etiam,  
caeli qui ante alios tum stellarumque periti,  
summa cum cura - nam coluere deam! -  
sidus hoc observabant Astartemque vocabant,  
Romanisque Venus, sidus amoris, erat.

Nunc autem, cum iam non tantum oculis observant  
longinqua ex terris sidera, ut ante, homines,  
instrumenta sed in caelum mittunt, propius quae  
omnia scrutentur, terrigenis referant,  
cognita nobis vicino de sidere, mentem  
quae terrent, multa: non oculus penetrat  
nubes atque aestus, totum vapore planetam  
qui cingunt Venerem, lividus et calidus  
fervet aer densus, qui non spirabilis ulli;  
hinc a terrigenis machina quin etiam  
missa frequens perit pressuque et sulphure multo.

Atqui erat haec terra, praebet amoena homini  
omnibus atque animantibus aeraque et vitamque,  
olim tam similis horribili Veneri!

Qui potuit noster dein fons vitae esse planeta,  
leti Tartarus et proximus esse simul?

Exquiratur ut hoc, nunc ecce volatile missum est  
telum. Di faciant, ut Venerem toleret!

(1) Ne, puer, maledixeris,  
linquens Lucifero domum

cum patris grege, cum pedo,  
quod tu, Lucifer ut iubet,  
peram sumis abisque.

(...)

Perge, ne maledic, puer,  
namque vespere te domum  
sidus et referet. Domi  
ligna sunt, puer, in foco,  
mater est, bona puls est.

Unus et peragras humi  
tu quidem, unus et emicat  
sublime Hesperus: abstulit  
lucifer, referet novo  
nomine Hesperus idem.

(Ioannes Pascoli, Catullo calvos)

## **DISTICHA DECEMBRIA MMV**

**De Susanna Osthoff, archaeologo Germana in Iracia capta rursusque liberata (cf. Nuntios)**

"Salva est", nuntius hic pergratus pervolat orbem,  
"salva Susanna, eia, est, libera et incolumis!"  
Gaudent in patria materque paterque Susannae  
germana atque soror. Civibus illa tamen  
Germanis quantum placeat servata Susanna,  
quid de illa credant, lector, ubique leges:  
"Quid? Non hoc temere voluit petere ipsa periculum?  
Cur totiens monita stulta manebat ibi?"  
- "Laudandast potius, quae tanta pericla subibat  
adiutura homines." Carpitur illa tamen:  
"Multa laborabant sed, servaretur ut illa,  
summatesque viri ipsaque et Angela dux.  
Forsitan et Germano - nostro! - est aere redempta.  
Num pro tanta opera grata Susanna fuit?  
Civis nostra diu iam Germana esse nolebat,  
vivebatque procul, nupserat immo Arabi,  
assecla est Mahometi..." - "Haec num vitia censes?"  
- "Non sunt vitia, sed ..." - "Quid 'sed'?" - "Arabs mulier  
cur servanda est nostris opibus aereque nostro?  
Cum genitoribus haec cumque sorore sua  
iam dudum non conveniebat. Denique alendam  
gnatam quin etiam tradidit illa aliis!"  
- "Tradidit. Hoc fateor. Sed censes destituendam  
sub cultro, impia quae est vivere visa suis



et Germana parum? Num vita dignior ille,  
 hic minus est dignus? Eximia o pietas!"  
 - "Immodice tamen auxilio utitur: ecce reverti  
 vult in terram illam! Quanta superbia! Vix  
 cum est erepta periculo, in quod temere ipsa ruebat,  
 nunc iterumne ruat? Quis iuuet hanc iterum?"  
 - "Macte, Susanna, animo! Redit haec, non territa cedit  
 saevitiis, at redit, adiuvet ut miseros!"  
 Iudicium causae tibi, lector care, relinquo.  
 Magnanima an socors illa Susanna fuit?

### **DISTICHA IANUARIA MMVI**

**De causa forensi in Italia agenda, utrum Iesus fuerit necne (cf. Craterem Nugarum)**

„Christus erat quidam, Iudaeus, seditiosus,  
 qui Tiberi periit tempore supplicio...“  
 Tradidit haec Tacitus (1). „Ob multos urbe tumultos  
 pulsus Iudaei, quos“, ait, „impulerat“,  
 dein alius scriptor, „Chrestos.“ (2) Non illa videntur  
 certa satis? Sed nunc rusticus est Italus,  
 credere qui Tacitum verum dixisse recusat.  
 Dices: „Qui non vult credere, ne faciat!  
 Cuique suum!“ Tamen is spargi mendacia censet,  
 Si quis dicit idem, per populum vetita.  
 Non ab eo Tacitus (fortasse vocabitur olim?)  
 ipse vocatur in ius, sed miser ecce senex,  
 seditiosi eius qui impulsorisque tumulti  
 Iudaei vates cultor eratque pius.  
 Sextus bis millesimus annus dicitur esse  
 post Christum natum! Sed miser ille senex  
 nunc Christum natum esse debet iure probare.  
 Christianos rigidos flexibilesque parum  
 iudicio coram censebat Plinius olim. (3)  
 Quid, si novisset Plinius hunc Italum?

(1) Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis adfecit, quos per flagitia invisos vulgus Chrestianos appellabat. Auctor nominis eius Christus Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio adfectus erat. (Tac. Ann. 15, 44)

(2) Iudaeos impulsore Chresto assidue tumultuantis Roma expulit. (Suetonii Vita Claudii 25)

(3) Interrogavi ipsos an essent Christiani. Confitentes iterum ac tertio interrogavi supplicium minatus; perseverantes duci iussi. Neque enim dubitabam, qualecumque esset quod faterentur, pertinaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri. (Plin. Ep. 10,96)

## DISTICHA FEBRUARIA MMVI

De castore primigenio petrefacto et nuper invento (cf. „Scientias“)

Vivebant quondam in terris animalia quaedam,  
non ovis genitam lacte suo subolem  
quae alebant mammis; quin nostri abavi illa fuere,  
nostram non ovis progeniem genitam  
more pari qui nunc nutrimus lacte materno.  
Quid scimus de illis nos homines proavis?  
Ingeniosa credimus mammalia prima;  
quidni, cum simus stirpe ab eadem homines  
nos, qui tam sapientes? Sed quam parva fuere!  
Nonne fuit prisco tempore terribilis  
saurus, qui immanis dominus terraque marique?  
Non vixere diu haec simul; orta brevi  
sauros ante extinctos sunt mammalia - pauca! - ,  
credimus. E caelis horribili feriens  
vi saxum dein ingens terras omnia mutat,  
omnia: quae prope sunt, paene simul pereunt  
aestuve ardenti flammisve aurisve nocivis.  
Nec securum animal longinquum esse potest:  
permultos cineres vis saxi iactat in altum,  
noctem qui longam, perpetuam faciunt  
multos omni annos terrarum denique in orbe;  
solis iam nulli perveniunt radii.  
Longam dein hiemem non arbor, germina nulla,  
non alga in maribus incolumis tolerat.  
Semanimis fame aera pervolat en pterosaurus,  
ichthyosaurus nat languidus in tenebris.  
Sed nostri proavi vivunt, mammalia prima,  
pauca; sed est illis multa dein suboles.  
Nunc ipsum hoc prodest illisce, quod ante nocebat:  
sunt parva, et pauca pabula sufficiunt,  
ut vivant et alant subolem, sauri moriantur  
cum fame; sic saxum, quod fere terrigenis  
cunctis eripuit vitam, mammalibus illis  
sola salus fuerat. Vivere sic etiam  
nobis dein tribuit, qui nunc terram dominamur,  
ut quondam sauri. Hoc putavere homines...  
Sed nunc inventum est mammale animal petrefactum,  
quod longe ante illum letiferum lapidem  
vixit, cum sauri multi erravere per orbem.  
Nunc stegosaurorum litora sub pedibus  
ampla pererrabat, nabat nunc cum ichthyosauris.  
Quid scimus de illis nos homines proavis?

## **DISTICHA MARTIA MMVI**

### **De Theodulo (1) Rahman sive de rerum statu in Afghania**

Bactrorum cum gente proelia plurima quondam  
gessit Alexander; denique in imperium  
illam etiam gentem, qua non remotior ulla,  
non ignota magis, en Macedo subigit.  
Pars igitur nunc orbis facta est Bactria Graeci?  
Cedit barbaries artibus ac studiis?  
Non cedit. Moritur rex magnus: Bactria prima  
deficit a regno, barbariesque manet.  
Nunc alius populus - forsitan heredes Macedonum? -  
iussibus Arbusti (2) Bactrica bella gerit;  
ignibus et ferro vult propagare salutem  
humanum et cultum. Quid tamen efficiunt  
hi Macedonum heredes? Absunt sane tyranni,  
sub quis gemebat ante diu populus.  
Libertas tamen haec, quam bellum hostesque dederunt,  
si, lector, quaeris, quid populo valeat,  
multa exempla docent: hoc femina quaeque docebit,  
quae gradibus timidis per fora perque vias  
incedit longo densoque velamine tecta;  
hoc docet haec etiam, coniugium fugiens  
quae senis ac saevi sese, ut multae, iugulavit.  
Exemplumque recens et Theodulus erat,  
vir pius atque probus, Mahometi fide relicta  
qui voluit Christo flectere abhinc genua.  
Deiectusque in vincula causam dein capitalem  
hanc ob rem subiit, ut nova lex statuit.  
Decrevit tamen hanc legem populus fere totus.  
Dum mecum haec recolo, admoneor populi  
Germani, qui olim Wilhelmo Caesare pulso  
respuerit esse liber mox voluitque novum  
peioeremque creare tyrannum. Libera vita  
nolenti imposta quid valet esse homini?

(1) Abdul = „servus Dei“

(2) Arbustum = Bush

## **DISTICHA APRILIA MMVI**

### **De officina nucleari Cernobylensi XX annis ante explosa**

Omnibus in terris nunc illa dies memoratur  
perniciosa, olim qua fere nullus erat  
inter eos, fabricam qui vivebant prope magnam,  
sciret qui noctem hanc non aliis similem:

inde, ubi quoque die fere quisque laborat eorum,  
 in caelum flammae letiferae exsiliunt.  
 Tranquilloque homines somno placidoque quiescunt  
 nilque mali metuunt. Dein veniente die:  
 "Accidit in fabrica - vicina, occlude fenestras! -  
 parvum nescioquid", dubia fama volat.  
 Tertio deinde die iussi sunt linqere demum  
 vicos atque domos non redituri homines.  
 Nunc si visere vis eadem loca, multi ubi quondam  
 navabant operam frugibus et pecori,  
 victum ut colligerent tenuem, monstra documentum!  
 Visere enim paucis ingredierque licet  
 infestum radiis iam non habitabile vastum.  
 Dein loca perlustrans qualia conspicias?  
 Mersas virgultis semitas agrosque neglectos  
 desertasque casas, tecta cadentia iam.  
 Horrentem te urbs ipsa salutatur denique Pripjat,  
 illa frequens olim, vividaque et celebris;  
 rudera nunc cernis lapsarum paene domorum  
 orbata et foribus ostia hiant vacua.  
 Intres has aedes, ubi muris gramina crescunt:  
 lectos, pulvinos, scrinia conspicias;  
 omnia, quae fugientes diram vim radiorum  
 liquerunt domini, omnia nunc remanent.  
 Intres hunc ludum, puerorum verba ubi servat  
 „o nostrum Pripjat", tabula nigra, „vale!",  
 in mensisque iacent calami librique, fenestras  
 per fractas Zephyrus flat liber et placidus;  
 ante domum nunc putrescunt caementa viarum  
 frangunturque herbis arboribusque novis.  
 Urbis per medium vulpesque lupique vagantur,  
 accipitres, aquilae, bestia multa habitat  
 hic, unde effugiunt homines, saepeque videtur  
 urbe in deserta bestia rara alibi.  
 Iamque relictis caementis pete rura, ubi nullus  
 bis denos annos iam pedem homo posuit:  
 ibis per silvas virides, florentia prata,  
 incultis in agris dammaque glisque vigent;  
 quodque aliis terris animal vix cernitur ulli,  
 securum hic vivit uberiusque alitur.  
 Iam vicisse locis illis natura videtur  
 - spes magna huic mundo - stultitias hominum?

## **DISTICHA MAIA MMVI**

**De physicorum Americanorum consilio materiam efficiendi, quae res invisibiles red-  
 dat (cf. Scientiam)**

Ex Ephemeride: Quis non desiderat vestem, quae dominum invisibilem reddat? Investigatores Ame-ricani nunc modum hoc efficiendi invenerunt.

Articulo in periodico „Scientia“ („Science“) publicato explicant, quomodo undae lu-cis res apta materia vesititas circumfluere possint. „Lux“, inquit David Smith, unus exploratorum, „aliaque undae electro-magneticae circumibunt rem illam et post eam denuo apparebunt, tamquam numquam separatae essent.“ Ita fere aqua lapi-dem rotundum in flumine iacentem circumfluit.

Unum autem adhuc impedimentum est: Materia talis nondum effici potest. David Smith et collegae eius etiam anno MM demonstraverunt materias quasdam lucem non reflectere, sed circum se ducere posse. Nunc autem eis primum contigit arte mathematica minutatim describere, qualis esse deberet talis materia.

Rationem mathematicam difficilem esse negat Smith: „Nihil est in ea, quod non ante L vel C annos potuerit computari.“ Neque tamen tunc instrumenta apta fuisse, ut materia talis efficeretur; quod investigatores Universitatis Duke nunc iam conantur facere.

David Schurig, collega Davidis Smith, putat eam materiam cum ad bellum utilem fore, tum ad multa alia: „Exempli gratia“, inquit, „undae lucis poterunt circum officinam foedam duci, quae prospectui litoris pulchri obstat.“ Etiam signa radiophonica facilius mitti posse putat, nam et illa sunt electromagnetica. Etiam arceri radii electromagnetici ea materia poterunt; quod placebit eis, qui timent, ne radii valetudini noceant.

Prisco a tempore iam mortales percupiebant,  
quae natura negat, innumerasque vias,  
omnipotentibus ut fierent similes fere divis,  
temptabant avidi: sic pater et filius  
terram linquentes pennis per aethera vasta  
contempto leto ingrediuntur iter.

Frustra, heu; audaces nimium! Gnatus perit: alto  
labitur e caelo aequoris alti in aquas.

Tutius est magia niti; persaepe feruntur  
arte sua insignes nocte volasse sagae.

Arti nil vetitum quis nesciat esse magorum?

Efficere et possunt, ex aliorum oculis  
penitus ut fugiat quisquam nulloque vidente  
ambulet in turba quemque latens media.

Talia callebat quondam Sigfridus, in oris

Rheni heros clarus, daemónico populo

Nanorum victo magicus cui traditus olim

regis pro vita pilleus ille malus,

perniciosus, quo non ulli conspiciendus

fraudem heros fecit terribilem, celebrem.

Iam tamen, heu, magia exstincta est mundumque reliquit!

Nunc est pro prisca ingenium magia

humanum, dudum iam quod longe superavit

artem, qua celebrer Daedalus ille fuit.

Nunc si iter illius sequeris Cretaque relicta

nullo navigio Attica litora adis,  
 non remis instructus, non velis, volucres ut  
 pervolas aethera, non mirus eris homini  
 ulli - Daedalus est nunc quisque. Forsitan olim  
 et Sigfridus erit quisque hominum, capiti  
 imposito celamine qui non cernitur ulli?  
 Mox fortasse fiet, quod voluere diu  
 permulti populi. Nam Atlantiacum mare vastum  
 transvolat en mirus nuntius atque novus:  
 materias nam docti homines effingere temptant  
 - ecce sagae nostri temporis atque magi! - ,  
 undae lucifluae quas, unda ut in amne lapillos,  
 circum molliter et perniciterque fluant.  
 Quid, quandoque domus si erit illo imbuta colore,  
 qui non est color, at concolor omnibus est,  
 quae cernis circum: pratisque agrisque marique?  
 Invisam ante oculos ante pedesque domum  
 ecce habes; intrabis (sed qui intras ostia caeca?):  
 omnia iam cernes. Egredere e ianua:  
 in campo stabis vacuo; ni impegeris illi  
 frontem, non ullam reberis esse domum.  
 Talia nos maneant? Et mox? Mirabile dictu!  
 Iam res invisas ipsa videre volo!

## **DISTICHA IUNIA MMVI**

**De 80 cm magno capite statuae Caesarionis pueri, Cleopatrae Caesarisque filii, nuper in ruderebus submarinis Alexandriae invento et nunc cum multis aliis reliquiis ibidem inventis in museo Berolinensi „Martin-Gropius-Bau" exposito**

*Hic ego qui iaceo (1), spectator, magnus in aula  
 maiore, accipe nunc, ille ego qui fuerim (1).*  
 Clara stirpe tueris natum Caesarionem,  
 prisci qui regni spes nova natus eram  
 urbe in Alexandri, in qua iam puerilibus annis  
 rex dicebar ego; mater enim debuit  
 alterum, ut regnaret, regem sibi consociare,  
 quamvis parvus erat - femina quippe marem.  
 Quid faceret? Nullus restabat: frater uterque  
 occisus; Caesar, filioli genitor,  
 occisus nuper; puerum sic denique trimum  
 declarat regem. Parvulus en ego rex  
 exhibeor populo festis; aliisque diebus  
 vix umquam matrem - regnat! - ego video.  
 „Bella parat mater", dicebat Nubia nutrix.  
 - „Cuinam bella parat?" - „Contice, parve puer;  
 nil res illae ad te; *bellum sit cura parentum.*" (2)

Deinde audire tamen contigit ecce mihi  
 clam servos pavidosque susurrantesque ministros:  
 „Quid regina parat? Caesaris arma vocat  
 in se nosque, famem ut satiet laudisque et opumque?"  
 „Caesaris" aiebant? Nonne meus genitor  
 interfectus erat Romae? Quid „Caesaris arma"?  
 Felicem tunc mel! Mox ego iam iuvenis  
 saevitiam illius, qui tunc Caesarque vocatus  
 Iulius atque novus, heu! nimium didici.  
 Iam compellebant crudelia „Caesaris arma"  
 me, matrem, fratrem, vitricum et Antonium  
 lumine relicto tristem descendere in Hadem.  
 Non nisi de lapide factus ego maneo  
 urbe in Alexandri, templorum tecta domosque  
 despiciens hominum, multaue saecula post,  
 Romano iam Caesaris imperio morituro,  
 admoneo cives Caesarionis adhuc,  
 qui clara Aegyptum regnabat cum Cleopatra,  
 ex Ptolemaia stirpe ultima progenies.  
 Terra dein trepidante prolabantur in undas  
 vici, templa, fora: omnia mergit aqua.  
 Me quoque tam grandem lapidis celsumque colossum  
 fractum et truncatum subtrahit unda oculis.  
 Nilque nisi caput iam glaucis circumfluor undis  
 Neptuni in regno saecula plurima ego.  
 Interim Alexandri viget urbs: labentibus annis  
 Byzantii regnant, post Arabes validi,  
 Galli, deinde Britanni; sed quisquis dominatur,  
 vitam talem, ut erat semper, agunt homines:  
 hic texit fiscos, hic porcos pascit, at ille  
 pisces extractos e fluvio pueris  
 vendendos tradit, sectatur quisque lucellum;  
 rixanturque et amant suppliciterque deos  
 implorant, ne deficiat segetesque pecusque  
 hoc anno fluvius, laetificentur agri,  
 ne tamen erumpens nimia iam fervidus ira  
 depopuletur agros eripiatque casas.  
 Omne illud tempus tepidi sub aequore ponti  
 occultus lateo, leniter ac leviter  
 unda fluens me operit lapidemque immergit harenis.  
 At longum somnum rumpitur ecce meum:  
 Parvus nat prope me sensimque accedit homullus,  
 tangit, pertractat, avolat et sociis  
 cum multis revenit, qui iniectis funibus omnes  
 ponto ex umbroso glaucifluis et aquis  
 Solis me in radios ardentis eripuerunt.

Deinde per aethera ad hanc barbariem venio,  
nunc ubi caerulea lucis circumfluor unda,  
qualis celabat unda me opaca diu.  
Germanos, qui, ut nos, perpessi Caesaris arma,  
rursus nunc moneo Caesarionis ego,  
qui clara Aegyptum regnabam cum Cleopatra:  
sum Ptolemaiorum ultima progenies.

1. ex Ovidii Tristibus
2. „Bellum sit cura virorum" (polemos d` andressi melesei) apud Homerum dicit Hector Andromachae, quae eum timore commota a pugna retinere vult

## **DISTICHA QUINTILIA MMVI**

**Quomodo primi proavi Aegyptiorum antiquorum ante VIII milia annorum ex Sahara, antea pluviis frequentibus fertili, tunc autem caelo mutato arescente, immigraverint in Aegyptum, antea nimis humidam palustremque, tunc autem caelo aridior iam habitabilem (cf. „Scientias")**

In vasto latoque sedet sub vesperum ad ignem  
grex hominum campo parvus et esuriens;  
iuxta stant casulae factae ex ramis foliisque,  
et pecus in saeptis fame balat miserum.  
Non nisi in hanc noctem sunt saepta structa casaeque;  
mane capras homines in nova pascua agent.  
Algida dum crescunt fugiente crepuscula Sole  
et tremulae flammae luce micante nitent,  
mentibus en homines permulta atque anxia volvunt,  
nam dudum his terris nulla cadit pluvia.  
Iam quocumque gregem compellunt, inveniuntur  
non fontes homini, gramina non pecori;  
arida sed ventis rapidis agitur harena  
Sole sub ardenti, arboribusque comae  
desunt nudatis, albescunt ossa ferarum.  
Quo iam se vertant, ne pereant, homines?  
Ecce inquit quidam iuvenis: „Non dicitur illis  
in terris, ex quis incipiente die  
igneus exit Sol, fluvius vel maximus esse?  
Illic lymphae homini, gramina erunt pecori!  
Illic vivemus! Mulgentur denique caprae,  
lac non deficiet, caseus inde fiet!"  
Auscultant omnes taciti. De flumine certe  
audivere illo: dicitur eius aqua  
tempore, quo nobis paucas fert exiguasque  
iam pluvias ventus, effluere e fluvio,  
iam nullam ut cernas terram; lacus omnia facta.  
Quam felix terra est esurientibus! At ...



nonne est daemonibus multus infesta malisque?  
 Non paludibus ex pessima Febris ibi  
 noctu clam surgit volitatque per aera pernix  
 quaerens, quem iugulet? Non dominus fluvii  
 fertur dente leonis terribilis Crocodilus?  
 Solis ibi terra est, qui deus est vehemens;  
 iam multos deus hic validos fortesque necavit  
 aestu sive siti. Est locus horribilis!  
 Haec taciti volvunt animis, metuunt cupiuntque.  
 Cana gravisque annis denique surgit anus:  
 „Audite haec, iuvenes, quae olim narrare parentes  
 de his campis, quos nunc incolimus, soliti.  
 Daemonibus loca subdita multis letiferisque;  
 non silice in nuda gutta fuit pluviae.  
 Timebant homines eadem loca tunc vehementer,  
 in quos venit post imber et herba nova,  
 et silice in nuda mox iam virentia prata  
 arbusta et crescunt, ponit homoque metum.  
 Sic quondam proavi venere in pascua nostra,  
 per quae nunc capras nos et oves agimus.  
 Non in perpetuum vexantur daemone terrae!  
 Libera daemonibus forsitan et illa loca  
 iam quandoque fient? Iam Febris rarior illic  
 aethera pervolat, et carminibus magicis  
 avertetur? Quin salvis forte et Crocodilus,  
 suppliciter si oras, incolere illa loca  
 permittet nobis? Agite experiamur, amici!"  
 Mane novo Nilum Sole oriente petunt.  
 Iside prognatos se dicebant Pharaones;  
 Haec, lector, vero Isis erat mulier.

## **DISTICHA SEXTILIA MMVI**

**De Natalia (Natascha) Kampusch Vindobonensi, quae VIII annis ante, tunc X annos  
 nata, a viro ignoto abducta et sub domo eius in cellula subterranea inclusa erat,  
 sed die XXIII mensis Augusti anni MMVI aufugere potuit, cum iam dudum mortua  
 esse putaretur**

Aufugit Natalia paucis ante diebus:  
 octo post annos cella relictam manet.  
 Curatur virgo a custodibus iam medicisque,  
 omnem per mundum nuntius ille volat:  
 Libera nunc est, quam desperavere parentes  
 dudum vivere adhuc, libera et incolumis!  
 Omnes percipiunt scire omnia: Qui tolerabat  
 talem nam vitam? Dicite, qualis erat  
 vita illa in cella? Perpauca scimus, at illis

paucis contenti num sumus? O minime!  
Crudelem abductorem alter declarat, at alter  
captivam affirmat non timuisse virum,  
dilexisse immo - fortasse et concubuerunt?  
O sapiens, qui nil scire homines meminit!  
Cognita sunt externa; at quae Natalia sensit  
octo illos annos, occulit haec animo.  
Quae sint facta puellae, iam, lector, tibi dicam:  
facta eadem, at variis exposita ecce modis.

## I.

Vere novo in ludum it parva olim forte puella,  
veste est caerulea praedita, fusca comas.  
Ora rigant lacrimae: mater modo namque moranti  
incussit gnatae mane domi colaphum.  
En subito quidam curru exsilit perque plateam  
currens protinus hanc eripit atque fugit.  
Perstrictamque horrore abducit deinde puellam  
secum ex urbe vehens ille domique suae  
cellae sub terra includit. Circumspicit illa:  
Nudi sunt muri, parva lucerna lucet...  
„Hic", abductor ait, „vives, Natalia." „Hicne?"  
„Ne time, nam pulchrum mox erit atque bonum!  
Lectus emetur mollis, sella, scrinia, mensa,  
dic, quidcumque voles!" Illa dein timide:  
„Quid tibi nomen?" ait. „Dominum me, parva, vocato  
iam, Natalia, abhinc; nam mea nunc es", ait.  
Sola relictā diu Natalia lacrimat. O quam  
ardenter matrem invocat atque patrem!  
Nil colaphus refert iam incussus mane puellae.  
Occlusa ante oculos ostia firma videt -  
mater, ades! Succurre, pater! Prodeste, sorores!  
Frustra plorat, eheu: solus adest „dominus",  
blanditiis falsis multos qui deinde per annos  
temptat captivae conciliare animum,  
diligat ut sceleratum. Inclusa in carcere vivit,  
solem non cernit, non alios homines.  
Anni praetereunt, iam iamque sueta timori  
uti scit „domino" callida, ne subito  
blanditiae illius ravidam vertantur in iram,  
pareat si forsā tardius imperio.  
Iam Natalia virgo est pulchra et candida, primum  
is cum permittit linq̄ere denique ei  
angustam cellam omni solis luce carentem:  
spectat nunc aedes illa avide domini.  
Quam vidit nil tale diu! Breviter tamen ille

nunc captivam oculos pascere luce sinit:  
Expurgare domum iubet. Est labor ille voluptas  
captivae inclusae; saepe dein misera  
cella educitur atque iubetur pro scelerato  
seu navare horto sive operam domui.  
Quin etiam adducit collegis ille puellam:  
Acriter ante monet, „ne male quid faciat”.  
Dicit amicum ergo dominum esse sibi simulatque  
se esse beatam, hilarem mota metu misera.  
Quadam forte die purgat currum abductoris;  
figit in illa, ut mos, acriter hic oculos.  
Tintinnat telephorum, paulisper sceleratus  
paucos ecce gradus se movet a misera...

Sic fortasse fuit. Sed forsitan, lector, et illo,  
quem nunc accipies, res ea facta modo est:

## II.

Vere novo in ludum it parva olim forte puella,  
veste est caerulea praedita, fusca comas.  
Ora rigant lacrimae: mater modo namque moranti  
incussit gnatae mane domi colaphum.  
En subito quidam curru exsilit perque plateam  
currens protinus hanc eripit atque fugit.  
Perstrictamque horrore abducit deinde puellam  
secum ex urbe vehens ille domique suae  
cellae sub terra includit. Circumspicit illa:  
Nudi sunt muri, parva lucerna lucet...  
„Hic”, abductor ait, „vives, Natalia.” „Hicne?”  
„Ne time, nam pulchrum mox erit atque bonum!  
Lectus emetur mollis, sella, scrinia, mensa,  
dic, quidcumque voles!” Obstupet illa. Nova  
hicine emetur ab ipsa electa et pulchra supellex?  
Non umquam tantam vel pater exhibuit,  
cum visebat eum festis atque eius amicam,  
vel mater curam. Vespere saepe domi,  
fessae filia perturbabat cum otia matris,  
incussit colaphos, acriter increpuit.  
Abductor sed adest suavis, persaepe puellae  
fabellas recitat, dulcia donat ei.  
A genitoribus se ille argentum ait saepe petisse,  
illos pro gnata nil dare velle tamen:  
„non illis cordi es.” Credit Natalia. Quidni?  
Blandis plorantem vocibus ille dein  
consolans lacrimas abstergit. Non genitores  
Hoc fecere umquam... Iam bene velle sibi

illum hominem credit. Cum inclusa in carcere vivat,  
solem non cernat, non alios homines,  
saepe rogat, cur non permittat linqere cellam,  
non exire foras. „Est tibi sic melius“,  
ille inquit, „tuta es, falsos non cernis amicos,  
non potas vinum ...“ Displicet hoc. Liberis  
quid tamen insoliti est a deliciis prohiberi?  
Multa vetat mater, multa pater, sed eos  
cum Natalia flagitat id, quod amat, ab utroque  
vapulat en misere. Vapulat rarius hic  
in cella, immo multo rarius! Ecce puellam  
colloquiis multis iam placat atque bonis  
callidus abductor, dona et praebet placitura:  
librumque et pupam, vestibus atque novis  
illam exornat, moxque tacet paretque puella.  
Et tacito passu tempora praetereunt;  
iam Natalia virgo est pulchra et candida, primum  
is cum permittit linqere denique ei  
angustam cellam omni solis luce carentem:  
spectat nunc aedes illa avide domini.  
Quam vidit nil tale diu! „Purgabimus aedes“,  
mox abductor ait, „iam cape, cara mea,  
pannum, quo tergas!“ Paret Natalia. Quidni?  
Nonne suos liberos saepe iuvare iubent  
matres se atque patres? Nil plus commune videtur  
captivae inclusae; saepius illa dein  
cella educitur atque iubetur pro scelerato  
seu navare horto sive operam domui.  
Quin etiam adducit collegis ille puellam:  
Acri ter ante monet, „ne male quid faciat“.  
Dicit amicum ergo dominum esse sibi ostentatque  
Contentam atque hilarem se esse. Nihil simulat:  
Vivitur hic melius quam olim cum matre. Cupiscit  
sane exire foras, somnia nocte videt,  
libertatem quis spectat, desiderioque  
experrecta dein lacrimat en misere...  
mox tamen adveniunt obliviae dulcia, deinde  
expellit curas ex animo miseras.  
Cur desideret id, verum quod non erit umquam?  
Saepe sibi dicit: „Vivitur hic melius!“  
Quadam forte die purgat currum abductoris;  
figit in illa, ut mos, acriter hic oculos.  
Tintinnat telephorum, paulisper sceleratus  
paucos ecce gradus se movet a misera...

Aufugit Natalia paucis ante diebus;

omnem per mundum nuntius ille volat.  
Cognita multa externa; at quae Natalia sensit  
octo illos annos, occultit haec animo.  
Iam sileant rumores, permittatur habere  
vitam denique ei nunc sibi habere suam!

## **DISTICHA SEPTEMBRIA MMVI**

### **Archaeologos novam „Argo“ fecisse**

Ex Ephemeride: Archaeologi navem talem, qualis Argo fuisse dicitur, fecerunt, ut e Thessalia ad oram orientalem Ponti navigarent. Eo experimento cognoscere volunt, num Graeci temporis Mycenaei vere potuerint Colchim pervenire, ut Argonautae fecisse traduntur.

Complures menses nave efficienda consumpserunt, donec medio mense Septembri perfecta et in aquam deducta est. Mensibus futuris navigatiunculis brevibus probabitur; proxima autem aestate cum quinquaginta remigibus rem publicam Georgiam petet, quod iter fortasse duos menses consumet.

„Novi Argonautae“ sibi proposuerant navem talem eius generis aedificare, quales erant primae naves rostris instructae; quae in Graecia saeculo decimo quarto ante Christum natum primum aedificatae esse creduntur. Dicunt se quam maxime fontibus antiquis nixos esse, ipsam autem Argo nusquam verbis describi.

Sperant se itinere Pontico plura de arte navali antiqua cognoscere posse. In animo habent secundum litus maris Aegaei in Hellespontum et inde in Pontum navigare. Tempore antiquissimo homines paene semper in conspectu litoris navigabant, ne de itinere deerrarent.

Etiam alii archaeologi naves more vetere aedificaverunt, ut eas experirentur. Pauca enim et incerta de arte navali veterum temporum tradita sunt, quare saepe non nisi hoc modo plura exquiri possunt. Maxima quaestio est, quatenus populi prisca inter se commercia habere potuerint.

Non nobis primum peregrinandi orta cupido,  
qui ignotas terras saepe novas petimus,  
sive frigora nostra ut vitemus, seu oblectent  
ut loca non nobis nota animum atque oculos;  
immo etiam heroes primaevi temporis olim  
commiserunt se caeruleo pelago,  
quod non ausus erat prius ullus. Peliacarum  
silvarum pinus caedere constituunt,  
navem pergrandem faciunt, quam remus et aura  
per Pontum ferrent, vellus ut expeterent  
auri. Qui poterant Symplegades et superare  
atque procellas, quas di dederant rabidas?  
Miramur, qui vix salvi incolumesque venire  
nostris navigiis, quo volumus, possumus,  
ferreus alveus iam quorum stridore repletur  
ardentique oleo pellitur ecce rota.

Nonne frequens navis, trans Aegaei maris undas  
 quae modo perniciosior igne volabat ad hunc  
 sive illum portum, peregrini ut perveherentur  
 litora ad iucunda, lucrum alii ut facerent,  
 nunc submersa iacet dira robigine victa?  
 Hoc facere antiqui quo potuere modo?  
 Hoc quidam ut scierent, nunc rursus Peliacarum  
 silvarum pinus caedere constituunt,  
 navem Argous similem faciunt, quam remus et aura,  
 non ardens oleum, dein veherent per aquas.  
 Qui sunt? Non heroes, ut olim, sed sapientes  
 et docti: omnia, quae tradita dictaque sunt  
 Argonautarum de erroribus atque periculis,  
 hi legere. Ergo cognita sunt miseris  
 omnia, quae impendunt: terra natiq̄ue gigantes  
 primum, saevaq̄ue dein multa procella; manent  
 Bebryces pugnaces post et amore furentes  
 Nymphae, quae pulchros eripiunt iuvenes,  
 denique grex volucrum pennis armatus aenis  
 necnon saevus aper, bellicae Amazonides...  
 Deerit at Lynceus, oculis praeclarus et omnes  
 excellens visu, deerit et validus  
 Hercules et Mopsus vates, deerit Polydeuces,  
 pugnis non ulli qui superandus erat,  
 Orpheus et cantor, divina voce valebat  
 qui placare undas. Quid faciant miseri?  
 Doctrina et libris credunt se vincere posse  
 monstra illa? Aut forsā machina cantat eis  
 disco ex compacto? Bene; sed satis haec erit undis?  
 Non credo. Coeptis saltem et Athena favet,  
 Argonautis sacra olim Dodonide quercu  
 ramum depromptum quae dederat magicum?  
 Non habet hunc iam ramum nostri temporis Argo.  
 Sic credetis vos caeruleo pelago?  
 O prius, oro vos, Pallanti sacrificate  
 Neptuno et magno vota que suscipite!

## **DISTICHA OCTOBRIA MMVI**

### **De quattuor incolis insulae Pitcairn stupri puellarum damnatis**

Ex Ephemeride: Quattuor viri, quorum maiores erant clari illi rebelles ex nave Britannica  
 „Bounty“, ad vincula damnati sunt, quia multos annos puellas stuprabant. Frustra nega-  
 bant se legibus Britannis subiectos esse, cum rebellibus prognati non essent cives Bri-  
 tanniae.

Provocaverant ad Domum Superiorem („House of Lords“) Londiniensem, quae nunc decrevit incolas insulae Pitcairn legibus Britannis teneri. Nuntius divulgatus est a radiophonia Novae Zelandiae.

Insula Pitairn, quinque chiliometra quadrata magna et 45 hominibus habitata, est colonia Britanniae in mari Pacifico meridionali sita. Anno MDCCXC novem nautae navis Britannicae „Bounty“, qui nauarchum severum Guillelmum Bligh rebellione fugaverant, cum uxoribus Tahitianis illuc pervenerunt, ut ibi tuti et indetecti a navibus Britannis poenisque iudicum Britannorum habitarent. Posteriores eorum etiam nunc ibi vivunt.

Postquam stupra ante tres annos detecta sunt, custodes publici in insulam missi sunt. Deinde in septem ex duodecim viris adultis, qui tunc insulam incolebant, investigatum est. In toto de 55 stupris agebatur, quorum nonnulla ante 40 annos facta erant. Quia ibi omnes inter se bene noti et plurimi etiam cognati sunt, scelera omnibus nota silentio tegebantur.

Ut causa agi posset, iudices, custodes publici, accusatores, defensores in insulam missi sunt et aedificium iudiciale aedificatum est. Causa coepit agi pridie Kal. Oct. anni MMIV. Advocati reorum negaverunt insulam legibus Britannis teneri; praeterea dixerunt mores ibi iam duo saecula tales esse, ut concubitus puellarum et virorum nihil insoliti essent.

Nonnullae feminae maritos suos excusabant, dicentes mores insulae differre a moribus aliarum terrarum: nihil rari ibi esse puellas duodecim annorum cum viris accumbere. Aliae autem narraverunt se terribilia passas esse et gaudere rem nunc finitam esse. „Puellae non nisi ludicra virorum erant“, dixit femina quater vi stuprata.

A.d. IX Kal. Nov. anni MMIV sex rei damnati sunt. Advocati reorum provocaverunt ad summum iudicium Novae Zelandiae, quod poenas confirmavit et declaravit incolas insulae Pitcairn legibus Britanniae subiectos esse. Deinde advocati ad Domum Superiorem Londiniensem provocaverunt, quae nuper idem decrevit.

Viculus est quidam vel remotissimus orbis,  
qui positus Placido ultimus Oceano.  
Sic est conditus: olim navis parva Britanna  
appulit ad litus, per fremitumque maris  
saxa ascendebant nautae famulique Britanni,  
qui cum virginibus illius Oceani  
indigenis coepere illic habitare; fuere  
non nisi parva manus. Unde tamen mulier  
illa parte maris genita innotescere possit  
Anglo? Res facilis: rege iubente suo  
nautae per mundum totum saevasque per undas,  
fruges ut caperent, insulam earum adeunt.  
Adversisque dein ventis - vel forte secundis? -  
multos per menses hi remanere debent.  
Navis iners iacet in portu, nautaeque mirantur:  
quales sunt mores hic hominum? Placidi  
atque sereni omnes hic, vir mulierque, videntur,  
comes hospitibus, leniter et liberos  
educant: non umquam verbere mater  
afficit hic puerum. Talia qui fieri

in mundo possunt? Admirantesque Britanni  
caeli temperiem, litora amoena vident...  
Mythus erat quidam „Paradisi" traditus illis,  
horti, lege Dei quondam ubi primi homines  
vixissent sine curis, terque quaterque beati.  
Insula forte fuit, forte et huic similis?  
Nudos audierant vixisse homines Paradisi  
nec puduisse illos. Credere vix poterant,  
namque severi ipsis mores: tetigisse puellam  
primo vel digito dedecus in patria,  
femina non exit ni spectans sedula vestem,  
ne pateant umeri, bracchia sive pedes.  
Hic sed multa fuit valde et formosa puella  
pererrans semitas exiguis tunicis,  
non multo praeter flores velamine tecta.  
In caelo nautae credere se poterant!  
Multos per menses remanent, et sumpsit amicam  
iam fere quisque; dein linquere laeta iubet  
litora nauarchus durumque ad iter revocavit.  
Perdoluere illi. Quid? Valedicere iam  
virginibus, reverti ad labores onerosos,  
plagas atque famem? Velle parere tamen  
se dicunt alii nautarum, aliique recusant.  
Pulso nauarcho parva feroxque manus  
expugnat navem; mox deinde vocantur amicae,  
et celeres fugiunt, vir mulierque, mari.  
Tuti a iudiciis a navigiisque Britannis  
qua vivant, rupem denique repperiunt.  
Terra incognita iam, fabula ficta velut,  
illorum liberis patria est patrum. Insula parva,  
qua nati, patria est; in casulis et agris  
ludunt et crescunt per notaque litora currunt.  
Albior est paulo forsitan eis facies,  
nasus acutus: quid refert? Aliud non umquam  
norant; non adsunt, qui rideant, alii.  
Praetereunt anni, mox saecula; vespere quodam  
mater cum gnata aedibus in placidis  
albatisque sedent, resplendetque ante fenestram  
sol ruber, iam fugiens in mare, litora quod  
arduaque et saxosa ferit vehementibus undis.  
Cistula, quales hoc tempore quisquis habet,  
lumine caeruleo, tremulo, conclavia replet  
rubra immiscentur fulgura solis ei.  
Vox missa ex cista auditur gnatae atque parenti,  
ex Zelandia cum lumine missa Nova:  
„Viculus est quidam vel remotissimus orbis,



vix noviens quinque civibus incolitur.  
 Sunt illic, qui parvas innuptasque puellas  
 multas, si multum quidquid ibi esse potest,  
 stupravisse putantur. Grex nunc provocat ille  
 iudicium ad nostrum, quod modo iudicia  
 confirmavit eorum: Sunt in vincla damnati  
 sex virum illorum; sex remanent liberi."  
 „O mater", rogitat summissa voce puella,  
 „suscensesne mihi?" „Talia cur metuis?"  
 „Nonne ego prima fui, quae dixi me violatam  
 a Stephano? Forsan, si tacuissem ego tunc,  
 nil aliae dixissent, mater, paxque fuisset,  
 qualis et ante fuit..." „Ne timeas, habeas  
 mentem tranquillam; gaudemus rem patefactam."  
 „Sed nunc tam longe a nobis detenta manebit  
 tanta virorum pars carcere! Naviculas  
 quis reget iam, capiat pisces, laboret in agris  
 palmarumque hortis?" „Filia, ne timeas!  
 Ista videbimus", ait mater. Tamen anxia nata  
 conticet, et genetrix mente sedet timida:  
 pauci semper erant homines hic. Forsan in urbe  
 vivunt commodius? Si tibi in urbe mali  
 quicquam fecit homo, facile est abscedere ab illo.  
 Quid tamen hic faciant Oceano in medio?

## **DISTICHA NOVEMBRIA MMVI**

**De proposito actorum diurnorum „Temporum Angelopolitanorum" („Los Angeles Times") dictatori Saddam Hussein potentiam supra Iraqiam reddendi, cum iam nulla spes liberam rem publicam populo invito instituendi esset et tyrannis minus terribilis esset quam violentia et bellum civile**

Bagdad erat quondam florens urbs, clara frequensque,  
 „urbs pacis" „donum" sive vocata „dei".  
 Condita saeculo et dimidio iam post Mahometum,  
 esset futuri ut caput imperii,  
 quod successores expugnare prophetae.  
 Fertilis haec fluvio est terra rigata Tigri,  
 prisca aetate ubi agros homines hortosque colebant,  
 condebant urbes magnaue templa deis  
 et statuas vovebant; iam pictura fiebat  
 scripturae similis, quando homines alibi  
 vivebant silvis volucresque ferasque venantes  
 ritu barbarico. „Urbs" ea „Pacis" erat  
 dives frugibus, insignis thermis atque aedibus altis  
 artibus et multis mercibus et variis.  
 Illius at splendoris nunc quid restat? In urbe,

quae olim „Pacis" erat, tempora saevitiae  
 nunc cives patiuntur. Quoque die scelerati  
 permultos cives innocuos lacerant;  
 quoque die miles metuens, ne interficiatur,  
 occidit quemquam. Vix licet ire foras,  
 vivere si velis, hic. Liberos cum mane parentes  
 in ludum mittunt, iam metuunt miseri,  
 salvi ut revertantur. Haec num dicitur esse  
 libertas ea, quam praebet America eis?  
 Expulso domino iam libertate fruuntur  
 illi, et adultos qui et pueros lacerant.  
 Nulla est libertas aliis. Revocare tyrannum  
 iam quidam cupiunt. Talia quin etiam  
 ipsa et America vota facit: nam tuta fuisse  
 dicitur „Urbs Pacis" tempore Saddamico -  
 illis sane, quibus nil umquam non placiturum  
 servis Saddamicis vocis in ore fuit.  
 Nunc autem quid erit? Iam Arbustius ipse  
 nunc cum duce novo colloquitur - sed ubi?  
 Illis hospitium Iordania praebet; in urbe  
 insidias „Pacis" nam nimium metuit.  
 Felicem et liberam voluit quam reddere terram,  
 hanc Georgius iam Maximus ipse timet.  
 O mores, o tempora! Num revocare tyrannum  
 una et sola salus? Di melius faciant!

1. „Bagdad" lingua Persica est „donum Dei"; medio aevo urbs etiam appellabatur „Medinet as-Salam", i.e. Arabice „Urbs Pacis".

## **DISTICHA DECEMBRIA MMVI**

### **De Saddam Hussein interfecto (cf. Nuntios)**

Mortuus est saevus crudelisque ille tyrannus,  
 prima luce modo supplicio periit.  
 Nunc Europa dolet, laetatur America; ipse  
 quid velit is populus, qui sub eo misere  
 vivebat multos annos, curare videtur  
 vix quisquam - Saddam supplicio periit.  
 „Iustum est et dignum", dices fortasse, „tyrannum,  
 multos ipse homines qui sine iudicio  
 ullo interficiebat, nunc pendere..." Sodalibus,  
 cur, dic, supplicium gentibus omnibus iam  
 Europae vetitum? Vitam non auferet ullus  
 iudex hic homini; permultos aliquis  
 iam licet occiderit, non est tamen ipse necandus.  
 Sacra est vita omnis - et scelerati - hominis.

Hoc unum et simplex ignorans ipse tyrannus  
civibus atque hosti perniciosus erat.  
Ignorant hoc et hi, qui temptant dilacerare  
per fora perque vias innocuos homines.  
At qui nunc illam terram regnare conantur,  
esse volunt iusti, ut patriam liberam  
efficiant, cives protecti ut legibus atque  
iudiciis vivant. Num tamen efficient  
sic iam iustitiam? Num censent iudice dignum  
ulcisci? Quin nunc et populo poterant  
monstrare et mundo iam poenam sumere culpae,  
non satiare iram propositum esse sibi.  
Gaudebat sed Arbustius iam pendere tyrannum,  
gaudebant alii, quis et America nunc  
credita tutanda et mundi fortuna regenda.  
Credunt se esse pios ante alios homines;  
quae tamen est horum pietas? Non saepe benigna:  
quo maior pietas, hoc magis illi alios  
accusant, carpunt; quisquis non vivit ut ipsi,  
his peccator erit. Imposuere sibi  
officia et leges: precibusque ut saepe vacetur  
carminibusque piis, et procul absit eis  
et Venus et Bacchus; pius est, qui talia servat,  
quisque aliter vivens impius atque malus.  
Et quod sponte sua libere procedere oportet  
magno et amore Dei profluere ex animo,  
hoc fecere legem. Quid valet invidia  
quidque superbia? Vix hae turpes esse videntur,  
conventusque pios dummodo semper adis  
atque preces. Tergum coniunx si coniugis ira  
verberibus mulcat, hoc minus esse malum  
censent, quam si virgo pulchra oculo vel obliquo  
cursimque aspicitur. Despiciunt alios,  
haec illis virtus. Quare nil denique mirum est,  
si erga illos homines, qui necavere alios,  
his clementia nulla manet: qui forte cecidit  
ipse aliquem, celeri morte debere mori  
- publice inflictam - affirmant, his more parentum  
dens pro dente valet atque oculus pro oculo.  
Non tantum punire, ulcisci at velle videntur.  
Num pietatis opus esse videtur eis  
vitam auferre nocenti? Cui vestrum vitia nulla,  
primus, ait Jesus, deiciat lapidem!

## **DISTICHA IANUARIA MMVII**

**De puella Americana hormonis curata, ne adolesceret (cf. Socialia)**

Viculus est quidam, quo vivit parva puella  
 felix atque hilaris valde et amata suis.  
 Diligit illa patrem, matrem, fratrem atque sororem;  
 ludere sed cum illis, candide lector, eam  
 si credes, „Utinam!“ respondebunt genitores.  
 Non umquam compos filia mentis erat.  
 Annum iam sextum degens nil, forte trimestris  
 infans quod nequeat, illa puella potest.  
 In pulvino immota cubat; si vocibus illam  
 blandis appellas, laeta hilarisque ridet,  
 verba sed ut capiat, spes nulla. Crepundia parva  
 porrigere: non manibus retinet illa: cadunt  
 in terram. Vitam sed agit laetam atque beatam:  
 Cum sentit matrem sive venire patrem,  
 fratrem sive sororem, infantis more puella  
 gaudet, laetatur; carmina si exhibeas  
 auscultanda, manus iactat laeta atque renidet;  
 si ludunt alii, spectat eos avide.  
 Iam iam crescere se non sentit parva puella,  
 crescit sed rapide, ubera iamque fiunt,  
 quasi esset *plenis iam virgo nubilis annis,*  
*iam matura viro*; iamque pater metuit  
 et mater: „Quid, si portari filia nostra  
 mox non iam poterit? Forsan in perpetuum  
 sola in conclavi atque cubili affixa iacebit,  
 cum tantum cupiat semper adesse suos?  
 O miseram!“ Miseris medicus sed denique suadet:  
 „Efficere id possum, ut crescere desinat, et  
 semper sit brevis atque levis.“ Gaudetque parentes  
 atque suae gnatae mox medicamina dant,  
 totam ut per vitam servetur parva puella.  
 Exhorrent multi: „Sic mutilare nefas  
 est hominem! Crudeles sunt medici atque parentes,  
 qui gnatae miserae non adolescere iam  
 permittunt! Naturam sic pervertere possunt?  
 Ne medici credant esse deos homines!“  
 Respondent alii: „Non umquam mente adolescet;  
 infans semper erit. Quid noceat, maneat  
 parvum si corpus? Non sentiet illa. Putatis  
 naturam eversam? Non medicina omnis  
 mutat naturam? Vitrorum si arte iuvabis  
 forte hebetes oculos, dentibus et putribus  
 sive aderit medicus, natura inflectitur usque.“  
 Quod tibi iudicium, candide lector, erit?

## DISTICHA FEBRUARIA MMVII

### De luto in insula Iava ex terra effluente (cf. „In orbe“)

Ex Ephemeride: In insula Iava iam decem menses permultum lutum fervidum ex terra effluit: ducentena milia „metrorum cubicorum“ (m<sup>3</sup>) in die. Ingeniarii Indonesiacy adhuc frustra conantur rei mederi.

Lutum fervidum, caloris 140 graduum Celsianorum, mense Maio anni praeteriti ex terra effluere coepit. Primo quinquagena milia metrorum cubicorum in die erant, nunc autem plus ducentena milia esse putantur. Lutum toti regioni periculum affert: Iam delevit quinque milia domorum innumerosque agros oryzae, officinas, scholas. Undecim fere milia hominum domibus carent; non minus quam decem chiliometra quadrata iam numquam habitari poterunt.

Purnomo Yusgiantoro, administer energiae, dixit lutum in fretum Madurense ducendum esse, quod viginti fere chiliometris a loco calamitatis distat. Ducetur per fluvium Brantas, qui in fretum Madurense influit. Homines periti nihil aliud fieri posse censent; non enim credunt fluctum luti ullo modo reprimi posse. „Potes etiam conari Nilum impedire, ne in mare fluat“, inquit Martinus Hovland, vir doctus Norvegus.

Causa calamitatis fuisse creditur, quod consociatio „Lapindo“ mense Maio anni praeteriti in terra foramine facto oleum quaerebat. Duobus diebus post et tantum 150 metris ab eo foramine lutum ex terra prorupit. Deinde innotuit inferiorem partem foraminis non tubis adamantinis ab aqua influente protectam esse, ut fieri solet. Consociatio pecuniae parcere voluisse creditur, cum pretium adamantis nuper valde auctum sit. Nunc autem fortasse milies tanta pecunia opus erit, ut damna reparentur.

Iava est insula dives: multa ibi crescit oryza,  
palmas et virides haec habet et cafeam.  
Multi illic homines aliti iam pridem habitabant  
caeli temperie fertilibusque solis;  
montibus inque altis non ardua pascua cernes,  
magnis sed surgit planus ager gradibus.  
Sed non tam fruges cives hoc tempore quaerunt,  
non tam palmarum nux et oryza homini  
nunc cordi est, aliae sed opes, quas praebet in illis  
terra ubertim oris: pinguis olensque liquor  
taeter et aspectu, multo sed carior omni  
agrorum fructu. *Sacra fames olei* (1)  
quosdam commovit sperantes lucra merere,  
ut cupidi terrae viscera perfoderent.  
Non tamen exsiluit lacuna oleum pretiosum,  
limus sed multus, fervidus, horribilis.  
Claudere iam nequeunt aditum inferni; reprimuntur  
nullo caena modo - o Deus omnipotens,  
siste, o siste lutum, finem fac, praebe salutem!  
Frustra precantur, eheu. Effluit alluvies,  
terras mergit, ferventi a fluvio fugiendum est,  
aestu ne pereas. Talia in Italia,  
ut fertur, loca sunt quondam pulcherrima passa,

monte ex ignovomo saxa liquentia cum  
effluxere exstinxeruntque domos hominesque.  
Sic Iavae si nunc litora conspicias,  
dira horrendaque somnia te spectare putabis:  
Agros, prata, vias, omnia mergit atrum  
caenum, ex quo surgunt taetri foedique vapores,  
vicis vicinis effugiunt homines.  
Si tibi parva domus forte est hortusque et amoenus,  
multum in quo pomum crescit in arboribus,  
arbusta et florescunt gallinaeque vagantur,  
prospectansque viam porticus ante domum,  
qua ludentem observabas cum coniuge prolem,  
aedibus atque intus pulchra tapeta nitent  
umbramque et spargunt excluso ardore fenestrae,  
nunc haec omnia sunt destituenda tibi.  
Nam venit alluvies limi atri, surgit in altum,  
submerguntque domum caena replentque viam.  
Si revenis posthac ex oppidulo atque palaestra,  
quae suscepit vos hospitio profugos,  
extrahas ut caeno seu vasula sive catinos,  
qualia conspicias? Mortua terra iacet,  
sola exstant limo parvarum tecta domorum,  
cana et marcida frons decidit arboribus.  
Dic, ubi nunc puteus, vico qui praebuit omni  
puram semper aquam? Iam latet ille luto.  
Conspicitur post vicum mons, qui non fuit ante,  
pullusque et vaporans caenaque lenta vomens.  
Undique aer foedis impletur odoribus, inque  
horas inque dies plure teguntur agri  
limo foetenti, plures vici moriuntur.  
Terrae, ubi nunc flores, palmae et oryza vigent,  
integrae ut alluvie serventur, multa conantur  
frustra nunc homines: claudere percipiunt  
rimam, quam ante ipsi fecerunt, laeta putantes  
effluctura olea; nil tamen efficiunt.  
„Non“, docti dicunt, „reprimentur; viscere laeso  
terrae prorumpent foetida caena diu,  
forsan nostrorum in tempus quin usque nepotum.  
Nilum quis prohibet, ne maris aequoribus  
se immiscere velit?“ Nunc ergo et caena ducentur  
vicinum in fluvium excipienda mari.  
Multos nunc annos limosus defluet amnis  
caeruleum in pontum atraque caena feret.  
Quae nondum periire, haec integra prata manebunt.  
Gaudebunt homines, aeger in Oceano  
non, credo, gaudebit piscis, cancer et alga.

O quid non faciet sacra fames olei?

1. Verg. Aen. 3, 57: „auri sacra fames“

## **DISTICHA MARTIA MMVII**

### **De vacca carnivora**

Ex Ephemeride: Cum nuper in parvo vico in India orientali sito multae gallinae perirent, discordia inter vicinos orta est; uterque enim alterius canem gallinas furatum esse suspicabatur. Denique autem apparuit eas non a cane, sed a vacca devoratas esse. „Priore“, inquit Ajit Gosh dominus vaccae, „vita vaccam nostram tigrem fuisse puto.“. Mihir Saatpathy veterinaria regionis „Fortasse“, inquit, „inopia mineralium adducta carnem edit.“

**et**

### **De formicis monachos vexantibus**

Ex Ephemeride: Complures annos colonia formicarum mordacium monachos templi Buddhistici in Malaysia siti vexabat. Saepe de arbore desiliebant in homines meditantes, ut eos magna vi morderent. Monachi fide Buddhistica severe vetantur ullum animal laedere, quare formicas etiam pulveris hauritorio in alium locum transferre conati sunt - sed frustra. Nunc ergo conducendus est, qui eas occidat.

Extremos apud Indos aurea regnat, amici,  
pax pietasque: Homines nulla animalia vi  
afficiunt umquam, nam sacra est vita cuiusque.  
Non tamen omne animal tam placidum esse potest,  
nec pietate pecus sacrum et venerabile, vacca,  
usque tenetur ea, quam exhibuere homines  
semper ei: nam vico in quodam mira iuvenca  
nocte rapit pullos tigrilibus similis.  
Miratur vicus totus; miratur et ille,  
qui vidit stabulo saepe perire suo  
pulos et gallinas, suspectum sed habebat  
vicinive canem sive suum. Tacite  
quondam per noctem ad stabulum cum pervigilaret,  
ut caperet fures, ecce iuvenca venit,  
aggreditur stabulum, dein pullum dente feroci  
luctantem arripit et devorat en miserum.  
Obstupuit dominus. „Quid? Tigris forsitan olim  
vita nata alia nostra iuvenca fuit?“  
Forsan, amice, fuit. Fortasse et turba renata  
est formicarum de tigrilibus gregibus,  
assidue in templo monachos quae vexat remoto,  
mordens in somno tempore noctis eos,  
quin etiam in precibus. Templi tranquillus in hortis,  
ut monachi officium est, si resides viridi  
iam meditaturus densae sub tegmine palmae,

arboris umbrosis desilit e foliis  
 una ex turba permordax formica frequenter  
 perturbatque animum. Quam pius esse debet  
 et sapiens meditator, talia qui ferat aequo  
 sic animo! Miseri quid faciant monachi?  
 Occidant formicas? Non licet his animanti  
 quicquam afferre mali. Terribili sonitu  
 ferrea eas haurit clamans ululansque Charybdis,  
 incolumes posthac evomitura alibi.  
 Sed tamen, heu, nimium formicis palma placebat  
 In monachorum horto; mox totidem reduces  
 adsunt formicae numeroque modoque carentes.  
 Vincitur iam pietas: interimendus erit  
 Totus grex formicarum! Sed quis necet illas?  
 Ipsi num monachi? O scelus horribile!  
 Arcessunt igitur quendam doctum atque peritum,  
 omnes qui occidat. Qui pietatem homines  
 erga animalia servant, his animalibus ipsis  
 cum sit nulla pios erga homines pietas?

## **DISTICHA APRILIA MMVII**

**Vaccam in viis urbis Hannoverae saevisse (Cf. "Insolita")**

Vacca fugiens medicum, qui ungues eius curare voluit, e praedio ad marginem urbis sito  
 per urbem Hannoveram cucurrit. Iuvenca gravida in suburbio Limmer flores in hortis de-  
 levit, saepta et vehicula astynomorum vigilumque fregit. Vigiles et custodes publici eam  
 tres horas per vias urbis persequabantur.

Denique vigili contigit vaccam tribus sagittis medicamento soporifero imbutis petere.  
 Postea domum reportata est. Postridie autem fuga, medicamine, graviditate nimis defa-  
 tigata mortua est. Neque contigit vitam feti, tribus diebus post naturi, servare.

Multa, puto, mulier gaudet curarier ungues:  
 cosmetes aditur, non minimo pretio  
 ungues qui atque manus tepidis prius imbuat lymphis,  
 dehsat dein palmas fortiter ac strenue,  
 ut pistor butyro ovisque et lacte farinam  
 dehsit permixtam, splendida crustula mox  
 alliciant oculos ut praetereuntis, odores  
 praetemptent naris dulciter et lepide.  
 Sic splendent digiti matronae luxuriosae,  
 reginae similis quae sedet atque manus  
 praebet dehsendas strenue famulis studiosis,  
 sic et olent - eheu, lector, ignosce, precor,  
 non ut crustula olent digiti unguentis pretiosis  
 imbuti, at potius floribus et foliis  
 tureque odorata stillant opobalsama palmis.



Laeta domum posthac ecce redit, digitos  
 pernitidos ostendit amicae, deinde marito:  
 illa admiratur, corripit hic pretium.  
 Sic gaudet mulier, si ungues pulchre expoliuntur.  
 Non sensit tamen hoc Ursula vacca modo,  
 nuper quae medicum resecaturum horruit ungues,  
 erupit stabulo terribili rabie.  
 Non opobalsama suavia, credo, illi subolebant,  
 sed runcina ferox culter et horribilis.  
 Quapropter fugit medicum commota timore;  
 mox iam naturo filiolo gravida,  
 ut mos est gravidarum, animo irritabilis atque  
 impos erat mentis perniciterque ruit  
 urbis per plateas, in currus, saeptaque et hortos  
 irrumpit, birotas frangit et ante domos  
 arbusta et dumeta delet, vigilesque sequuntur  
 vaccam et custodes; non tamen sistere eam  
 ullo more valent. Cum praebet se angulus aptus,  
 quo illam compellant, vi fugit horribili:  
 corpore pergrandi, torvo vultu imminet illis.  
 Spectant ridentes talia multi homines,  
 mirantes tam rarum aspectum: bucula currens,  
 quam exanimis sequitur per fora, per plateas  
 turba suburbanas, tam tranquillae placidaeque  
 quae esse solent! Demum vespere iam frigido  
 contigit adveniente ad murum vaccam agitare:  
 horti sub magnis arboribus pavida  
 constitit aedes ante altas, non exitus ullus  
 iam patet - ecce petunt multa soporifera  
 tela illam, *geminisque teguntur lumina nocte* (1),  
 atque veneni vi vincitur iam rabies.  
 Viribus en iunctis domino dein victa iuvenca  
 redditur, in stabulo qui vigilanter abhinc  
 inclusam servabit. Nunc sunt restituendi  
 hortique et muri, fracta vehicla, rotae.  
 Cur tantum mulier curari percupit ungues,  
 bucula sed tanto aufugit illa metu?

1. Catulli carm.51, 11-12

## **DISTICHA MAIA MMVII**

### **De continentibus ad septentriones moventibus**

Ex Ephemeride: Cur continentes in septentrionali hemisphaerio terrae coacervantur?  
 Simplicissime explicari potest forma terrae et circulo vulcanorum Antarctida circum-

dante. Quod multa decennia nemo animadvertit, quia non solemus terram ab inferiore parte aspicere.

Quaestiones quaedam tam simplices sunt, ut non nisi liberis in mentem venire soleant. Exempli gratia: Diu nullus homo doctus mirabatur paene omnes continentes, cum maxima pars meridiani hemisphaerii maribus tegeretur, in septentrionali hemisphaerio sitos esse, quamquam hoc omnibus effigiem terrae spectantibus apparet. Usque adhuc scholares hoc non bene explicare poterant: Tabulas continentales, semper super liquidum nucleum terrae fluitantes, casu sic evasisse aiebant.

Nunc autem Dionysius (Dennis) McCarthy, qui in Museo Scientiae urbis Buffalo in provincia Novi Eboraci sitae laborat, meliorem explicationem praebet:

Nam Antartidis circulo montium tria chiliometra alto cingitur, qui sub Oceano latet. Ex his montibus continuo saxa liquida effluunt durescuntque, dein novis saxis liquidis in utramque partem premuntur.

Intra circulum Antartidis, cum ab omnibus partibus prematur, non movetur. Extra autem circulum recens solum maris ad septentriones premitur. Omnes ergo tabulae continentales circum Antartidem sitae versus aequatorem pelluntur.

Cum autem terra circum aequatorem latior sit quam prope polos, tabulae versus septentriones fluentes altera ab altera discedunt. Hac de causa sola marium hemisphaerii meridiani magnis rimis fissa sunt, quamobrem maria augentur.

Causa ergo est, quod terra globus est? Quam simplex! Cur hoc antea nulli in mentem venit? Non tam mirabile est, quam videtur: Imaginem enim mundi ex tabulis formas terrarum monstrantibus concipimus. Antartidis autem, quia in tabulis non nisi ad imum marginem apparet, neglegebatur.

Hoc modo a McCarthy invento ultimis bis milies centenis milibus annorum (i. e. 200. 000. 000 annis) plurimae continentes in hemisphaerium septentrionale pellebantur. Nunc hic spatium angustum fit. Multis locis tabulae continentales inter se collidunt. Collidunt, exempli gratia, per totam Europam Asiamque; sic Alpes et Himalaia ortae sunt.

Fortasse sic etiam explicari poterit, quomodo continentes nascantur et pereant. Nam compluries omnes terrae in unam continentem ingentem coaluerunt. Cur hoc factum esset, usque adhuc nemo sciebat.

McCarthy opinatur tabulas omnes in unum locum compelli. Ultima continens, quae omnes fere terras complectebatur, Pangaea nominatur. Partim in hemisphaerio meridiano sita ante bis milies centena milia annorum (200. 000. 000 annos) in complures partes dissoluta est. Ex una rimarum, quae tunc ortae sunt, cingulus ille submarinus vulcanorum natus est, qui nunc Antartidem cingens continentes versus septentriones compellit.

Wolfgang Frisch, geologus universitatis Tubingensis, aliquando continentes in parte septentrionali coalescere posse putat. Tunc fortasse circum polum septentrionalem novus circulus vulcanorum orietur, qui deinde terras rursus versus meridiem compellet. In septentrionali autem parte ingens novus Oceanus orietur.

Omnibus in terris, mundi quae repperiuntur  
occultumque inter conspicuumque polum,  
omnibus in terris vivunt homines. Qua fulgent  
solis invicti perpetui radii,  
arboribus frondes remanentque virentque perennes  
totum perque annum noxque diesque pares,

cedunt et veniunt menses, nec longior ullus  
seu futuro umquam sive priore dies -  
hic vivunt homines; etiam tamen ultima Thule,  
qua nox totam hiemem longa silensque tegit,  
civibus incolitur, vernali tempore primos  
summa laetitia qui radios celebrant,  
magnoque et festo lucem solemque salutant,  
longas qui revenit denique post tenebras.  
Dum tamen Arctoas gentes tenebrae circumdant,  
aspice et, oppositum quae propiora polum:  
Lucida pars mundi est, qua sol non occidit umquam,  
summo sed caelo nocte dieque rotat,  
paulum demissus noctu, dein mane levatus.  
Noctis sub medium miraque conspicias:  
Unde die medio splendet lux, huc cadit umbra.  
Nonne homines festis hoc quoque concelebrant?  
Non spectaculum tam rarum causa est celebrandi?  
Nemo est, qui celebret. Vivere nullus ibi  
creditur, omnia nam glacies Antarctica vincit.  
Quid, quaeres, soli iam propiora loca?  
Quid, quibus est vicinus non frigidus polus atque  
terra gelu rigida, nox neque perpetua  
totam hiemem longam denigrat, nec tamen ardet  
sol aestu horribili noxque diesque pares  
omnes per menses, ire ut non sentias annum?  
Permultis populis nam media illa loca,  
quae nec tecta gelu nimio nec sole molesta,  
Arctoa in mundi parte frequentia sunt:  
Hic sunt Europaeque sinus portusque marini,  
vasti Asiae campi, sunt et Americae ibi  
montes et valles, urbs et celeberrima multa;  
lector, credo et te, candide, vivere ibi,  
terrīs his mediis. Quid de oppositis tamen illis,  
de antipodum mediis pertepidisque locis?  
Illuc ut venias, naves ascendere oportet,  
nam neque conspicitur mons neque campus ibi,  
undas sed cernes; saxosaque et insula quaedam  
parva et rara tibi forsitan obveniet,  
phocis quae patria est avibusque. At cur glomerantur  
terrae sub Boream, plena sit altera pars  
orbis cum marium? Supra ferrum lapidemque  
ignitum terrae scilicet usque fluunt.  
Cur tamen ad Boream? Si navem vertis ad Austrum,  
invenies causam. Nam venies propius  
terram, quae inter tot fluitantes unica fixa  
atque immota iacet. Cingitur ignivomis

montibus altis, qui sub aqua liquidum lapidemque  
 ferrumque evomitant Oceanique solum  
 trudunt atque premunt Boream versus, spatiumque  
 nostra in parte globi linquitur exiguum,  
 quo alterius nunc orae impingitur altera terra.  
 Sub pedibus quatitur terra frequenter ibi,  
 montesque ignivomi perterrent morte tremenda  
 fertilibusque solis alliciunt homines.  
 Arcticus ipse polus mare adhuc conspectat apertum;  
 olim at terrae omnes convenient et ibi  
 Pangaeamque novam facient. Qua nunc glacies est  
 Oceano fluitans, tunc ibi erit glacies  
 terra fulta nova solidaque, novique orientur  
 montes, terrarum viscera qui evomitant.  
 Circulus iam media in „Pangaea" surget in altum,  
 qualis nunc mundi fine sub opposito  
 Oceano occultus latitat terrasque repellit.  
 Scindeturque solum vastaque terra dein,  
 inrumpentque undae, rimae implebuntur aquarum  
 fluctibus et maribus, dilacerataque mox  
 iam „Pangaea" fiet terrae multae, incipientque  
 remigrare illuc, unde prius fuerint  
 appulsae ad Boream. Sic Oceanus fiet ingens,  
 Pangaea ante ingens vastaque ubi fuerit.  
 Nil ergo sub sole novi, migrant remigrantque  
 terrae sic semper; talia nos homines,  
 exiguum in tempus nati, miranda putamus?  
 „Plura", poeta olim, „repperiuntur", ait,  
 „caelum inter terramque, umquam sapientia vestra  
 quam capiet." Sapiens, talia qui meminit...

## **DISTICHA IUNIA MMVII**

### **De aurificina Nubia nuper excavata**

Ex Ephemeride: Ad ripam Nili, in re publica Sudan, archaeologi aurificinam olim maximam  
 et bene administratam effodiunt, qua inter vicesimum et decimum quintum saeculum a.  
 Chr. n. aurum quaerebatur. Apparet mercennarios variarum gentium ibi pro regno Nubio  
 (Kus) laboravisse.

Tam multum auri ibi quaerebatur, ut appareat reges Kusitas etiam in finibus regni potu-  
 isse comeatum, disciplinam, praesidium praebere. Comeatu opus erat, ut homines et  
 cibi adveherentur; disciplina, ut labores inter operarios divisi perficerentur et fructus  
 operis pretiosus servaretur. Praesidio autem militari reges sibi eum uberem fontem auri  
 vindicabant.

Archaeologi sperant se ibi etiam de vita cottidiana plura cognoscere posse. Invenerunt  
 enim nonaginta sepulcra rotunda et circulis lapidum circumdata. Talia sepulcra gentis

Medaeorum (Medjai) fuisse putantur, qui in metallis vel in exercitu quaestum facere solebant.

„Possumus dicere in Nubia illo tempore multas gentes inter se convenisse“, Williams archaeologus ait. Nuper alia excavatione apparuit Kusitas etiam Puntenses operarios allicere potuisse. Incolae fabulosae terrae Punt, quae in scriptis antiquis etiam "terra auri" appellatur, olim prope "Cornu Africae", ubi nunc est Somalia, vixisse creduntur.

Archaeologi etiam sepulcra rectangula, more Kusitarum facta, et vasa fictilia Nubia et ex Aegypto importata invenerunt.

Solis sub radiis resplendent fluminis undae  
vastae, atque interdum frigida fert ab aqua  
perbrevis aura levamen, solis mitigat aestum;  
non tamen umbra ullis spargitur arboribus.  
Vicinae auribus obstrepitat fragor cataractae;  
cernuntur montes solis ad ortum alti,  
fusci et harenosi, in quis vix ulla herbula crescit.  
Paucos hic homines vivere posse putes,  
parvis forte hortis qui inter montes fluviumque  
victum vix aegre sustineant tenuem.  
At tamen ad ripam multorum turba virorum  
discurrit, voces et strepitant variae:  
"Fer lapides!" "Citius!" "Volo aquam! Heus tu, puer, audin?"  
"Carbo quando aderit denique? Vapula, iners!"  
"Vectem, aio, mihi fer; comprendin, barbare? Vectem!"  
Sermones multi gestibus et digitis  
adiuti miscentur; nam multi variique  
omni huc conveniunt ex Nubia populi:  
En Nubii exactores, ostentantur honores  
quorum per pelles pardalium varias,  
iussus clamant per vallem, properantque parentque  
Amani, modo quos cingula sola tegunt,  
Afarii talaria longa atque alba gerentes  
proceri et Mityes, picta quibus facies,  
attonsi Cytamones vittatique capillos  
Medaei atque alii gentibus ex variis,  
quas regit imperio Nubiorum rex venerandus.  
Nec tantum ex regno huc veniunt Nubio:  
Aspice eos, qui illic pisces in flumine captant,  
esca ut sit cunctis! Corpore sunt humiles  
et rubidi nec atri fuscive coloris, ut omnes,  
picti et caeruleo bracchiaque et faciem.  
Targi sunt, credo, qui sub regno Garamantum  
iam vixere diu; arida pascua nunc,  
vix quae sufficiunt gregibus, persaepe relinquunt,  
hic ut lucra petant parvula. Quin etiam  
Puntenses criniti, albo ligamine tecti,

adsunt, ex parvis qui veniunt casulis,  
palis quae fultae in lacubusque altis fluviiisque  
densas stant silvas inter et horribiles.  
Navant cuncti operam: Mulis ingentia saxa  
apportant alii montibus ex altis,  
in quibus interdum resplendet parvula mica;  
frangunt saxa alii fortibus haec cuneis,  
hi fragmenta terunt posthac etiamque minora  
efficiunt, illi deinde focis lapides  
imponunt flammisque accendunt, denique pauca  
post operam ut longam defluat ex silice  
auri gutta modo, servatur quae excipiturque  
summa cum cura, traditur et Nubio  
exactori torvo observantique severe,  
praefecti inque casa, fructus ut incolumis  
tantae operae regi tradatur, milite multo  
multum atque armato protegitur gladiis.  
Fame premuntur iam dudum omnes, divitiisque  
regis qui navant luxuriaeque operam:  
Nil ederunt ex multis longisque diebus  
iam praeter pisces. Nunc miseros etiam  
pisces deficiunt, peraquosaque iura coquuntur,  
piscibus ut paucis prandere turba queat.  
Exspectata diu quando nam denique navis  
adveniet, quae escas afferat huc operis,  
grana, cepas, cervisam... etiam fortasse ferentur  
caseus et nuces? Optima quaeque tamen,  
ut semper, Nubii poscent. His suavia poma  
vina et palmarum, bubula quin etiam...  
Vox subito lamentantis defertur ad aures:  
Reveniunt, montes qui petivere modo  
caesuri lapides. Iumentum terga reportant  
exanimis corpus sanguinolentum hominis.  
Conclamant omnes, accurrunt. Summa dearum,  
vivit? Non vivit. Si caput hoc mutilum  
aspicitur, spes nulla. Sonant vallis fluviusque  
lamento lugubri. Attoniti comites  
mulum ducentes aliis narrare conantur,  
quid fuerit. Verbis sed nequeunt miseri,  
quae capiant omnes: Demonstrant gestibus atque  
nutu, ut saxum ingens irruerit comiti,  
ipsi temptarint servare ut diffugientes  
sese praecipites ... sed quid opus? Loquitur  
clarius omni voce cruorque ipsumque cadaver  
prae fractumque caput sub lapide aurifero.  
Cessat opus, neglecta iacent iam saxa focique:

Maius nunc omnes detinet officium.  
Rite lavatur in amne cadaver sanguinolentum,  
cingitur et vittis deinde caput mutilum;  
nam Medaeus erat. Mox signa in pectore sacra  
exstincti incidunt, effodiunt foveam,  
componuntque sodalem, spectet solis ut ortum,  
nam Medaeus erat. Ponitur et patina,  
qua pultem miseram dilutaque iura solebat  
sorbere, atque calix, unde potabat aquam,  
ante cadaver. Dein respergunt corpus harenis,  
multos circumdant atque nigros lapides.  
Mirantur Mityes: "Non urent corpus?" "Amici,  
hic Medaeus erat", dicit eis alius.  
Scit: Laborat multos hic sub sole per annos.  
Non primum est, divos hic quod obire aliquis  
cogitur: Hunc, ripam fluvii qui iussus adire  
allaturus aquam, dilacerat frigido  
dente ferox crocodilus; flammis ille focorum  
urit, et multos horribilesque dies  
vulnera acerba dein patitur multosque dolores,  
exhalat dum animam; tigridis ille ferae  
desertis in montibus ungue et dente necatur.  
Complures annos qui locat hic operam,  
cunctorum funebres mox mores populorum  
ritusque et cantus noverit is penitus.  
Saecula labuntur: Nunc non iam cernitur ullus,  
hic qui quaerat opes; terra neglecta iacet.  
Quodam forte die strepitantibus ecce vehiculis  
pauci per montes approperant homines.  
Non Nubii sunt horum praefecti, albidiores  
Persis quin etiam seu Tyriis faciem;  
Nilum advenerunt terra, remotior omni  
quae harum terrarum est, ex quibus olim operae  
quaestus huc causa veniebant, longius immo  
hinc distat quam Punt, Persia vel Libanus.  
Permirabilis horum est vestitusque habitusque:  
Hoc si operae priscae temporis aspicerent,  
plus etiam riderent, quam risere capillos  
pictos et vultus tunc Mityum, populus  
cum novus hisce locis oculisque insuetus eorum.  
Perfoditur palis arida terra dein.  
Laetans extrahit unus fractam ex pulvere lancem:  
Gaudentes comites altius effodiunt.  
Circulus apparet lapidum: Priscum ecce sepulcrum!  
Exsultantque duces et cupide removent  
pulverem, harenam. Qui hic elatus repperietur,

is Medaeus erat; busta rorunda docent.  
Ossibus iam nudis oculi mox alliciuntur:  
Fractum est ecce caput, apposita atque calix  
fictilis extrahitur defuncto, deinde catinus.  
Summa laetitia conspiciuntque duces  
contrectantque: Incisae sunt pictaeque figurae;  
moribus Aegypti sunt similes, licet his  
simpliciores sint multo. "Quam multa docebunt  
tam rara et prisca haec ossaque vasaque nos,  
inspicienda magis cum portabuntur in urbem!  
Tota scrutanda est area iam, pueri!"  
Multos inde dies fodiunt. Mox inveniuntur  
vectes et lances, deinde foci, lapides.  
Aurum hic quaerebant Nubiorum tempore regni!  
Mirum! Qui poterant hisce locis Nubiae,  
regni sub fines, operae nam vivere multae?  
Laborare illos cogere qui poterant  
rege absente? Aurum a furtis qui protegebatur  
remota hac terra? Quomodo denique tum  
alebant homines multos? Namque arida terra  
nullos haec fruges gignit agrorum homini...  
Fluminis ad ripam lignum longum sub harenis  
apparet; removent quo magis has famuli,  
hoc maiusque et longius hoc lignum esse videtur:  
Navis! Fracta iacet; percupidi effodiunt.  
Fictilia intus vasa latent! Frumenta ferebat  
forsan navigium, candida vina, oleum?  
Ossa etiam emergunt hominum: Periisse videntur  
multi; non ullus forte superstes erat.  
Naufragium num factum est vicinam ad cataractam,  
huc pulsa est undis deinde ratis fluvii?  
Accidit hoc, rogitant, nam quando? Tempore regni  
primaevi Nubii; navis et ipsa docet  
structa modo illius aevi, ostendunt fictaque vasa  
ornatu et forma tempore eo solitis.  
Ut famulique ducesque triumphant! Integra navis  
aevi tam prisca totque etiam ossa hominum!  
Nuntius ille brevi percurrit tempore mundum:  
"Contigit hoc magnum: Prisca nuper Nubia  
Aegypti ad fines inventa est aurificina;  
effossa et vectes, ossa sepulcraque sunt  
integra et navis, quae forsansaeculo eodem  
demersa in lymphis esse potest fluvii,  
quo vixit, cuius prima illic busta reperta."  
Ipso mersa die est, ille miser quo obiit...



## DISTICHA QUINTILIA MMVII

### De arboribus in planeta Marte serendis

*Mexicopoli ex urbe* - Quinquaginta gradus frigoris, aer tenuissimus et paene omnino ex dioxidio carbonis constans: In Marte planeta nulla arbor crescere potest. Olim autem fortasse poterit. Nam biologi et astronomi ex Mexico et Civitatibus Unitis Americanis volunt superficiem Martis, nunc mortuam et lapideam, in regionem viridem silvis et lacubus insignem mutare.

Ut enim homines in Marte vivant, necesse est silvas ibi serere. Sic olim aer hominibus spirabilis fiet. Planetam gazis calorem retinentibus - e.g. methano - calefacere, deinde bacteria illuc mittere volunt, quae ex luce energiam faciant. Deinde homines in Martem volabunt et semina arborum serent. Sic aerem hominibus spirabilem fieri posse credunt. Planeta calefacto etiam glacies in polis liquescere posse putatur, ut lacus fiant.

Mense Augusto ineunte Consociatio Aeronautica Americana (NASA) machinam volucrem nomine "Phoenix Mars Lander" in Martem misit. Si appareat iam vitam in Marte esse, Navarro-Gonzalez ait se et collegas propositum statim deposituros; nam docti credunt hominibus non licere eam vitam aere calefaciendo necare. Si autem planeta sterilis sit, vitam a terra illuc transferri posse ait.

Navis desertas fulgens appellit ad oras;  
vecta per immensa est illa diu spatia,  
cernimus in tenebris quae sidera suspicientes.  
Ingentem Oceanum hunc pervolat illa diu  
navis, nunc quae denique litora ignota salutat,  
quis non ante pedes imposuere homines.  
Delabuntur humum scalae, atque fores per apertas  
nautae perpauci iam properant hilares:  
Tam multos post menses denique corpora primum  
pondus habent quoddam! Non volitant homines  
per navem plumis similes; vestigia restant  
iam sine cingulo humi pondere pressa suo.  
Rubros en lapides cernunt et culmina montis  
ignivomi quondam, nunc tamen exanimis,  
valles et nudas. Nulla hic spirabitur aura:  
fistula cuique affert aera, ne pereant.  
"Hic, comites", inquit, "duos habitabimus annos",  
ad comites mulier laeta simulque timens.  
"Hic aliquando silvae crescent", altera dicit,  
"splendebuntque lacus, prata virentia erunt!"  
Huic namque officio veniunt: ut Marte planeta  
olim ope humana Terra secunda fiat.  
Forsan, secum aiunt, nostri quandoque nepotes  
hic ludent laeti fronde super viridi?  
Qualem tum degent vitam? Memoresne abavorum  
primorum, nostri tunc an erunt memores?

Discunt in ludo liberi circumsilientes  
huc illuc aulam per magnam et celebrem;  
tabulaque ante oculos ad frontem affixa cuique  
praebet vivam aevi praeteriti speciem:  
Conspiciunt plateas Solis splendore lucentes  
currentes homines atque vehicla vident  
magno cum strepitu properantia, lumina rubra  
moxque virentia iam; denique flava fiunt.  
Ut species oculis, sic auribus inducuntur  
iam dudum elapsi temporis usque soni:  
Obstrepit ecce vehiculum, tintinnabula, deinde  
sermo, quem nullus comperit hic hominum.  
Sentiturque calor Solis, ventusque et odores.  
Per mundum ignotum percupidi saliant  
et laeti liberi; huc sibi quisque venire videtur,  
haec spectare, pedes admovet ecce quibus.  
Posthac multa rogant, multa explanare magister  
temptat: "Dic, cur tam tunc homines humiles  
nam fuerint! Et nos excedimus illos  
perparvi liberi namque viros veteres."  
"Cur tam fortia crura et bracchia tanta fuerunt  
tam parva et capita?" "Causa patet, liberi:  
In Terra vivebant. Omnia ter graviora  
sunt illic, etiam corpora certe hominum.  
Inde et membra illis tam fortia habere necesse est  
nec procere, ut nos, crescere quisque potest.  
Nos, si umquam temeri vellemus visere Terram,  
infirmi misere decideremus humum."  
Decideremus humum? Mirabile! Deinde puella:  
"Cur, dic, tam tardos", parva, "gradus faciunt  
tam mireque moventur? Namque levare videntur  
Vix vestigia humo." "Causa eadem est, liberi:  
Ob nimiam gravitatem non saltus facere altos,  
sicut nos, poterant." "Tam validine homines,  
tam robusti?" Mirantur pueri atque puellae.  
"Athletae pauci, credite mi, poterant  
saltare humano capite altius", ait praeceptor.  
Deinde puella rogat: "Nunc etiamne homines  
terreni hanc praebent speciem, sic atque moventur?"  
Irrident alii. Credere qui poterit  
hoc quisquam! Elapsi dudum sunt talia mundi.  
Non tamen irridens ecce magister ait:  
"Sic est." Obstupuere omnes. Num vivere possunt  
nostro tam miri tempore adhuc homines?  
Dein timide puer audet quaerere: "Lux etiamne,

quantam vidimus, est Solis adhuc ibi nunc?  
"Est", respondet praeceptor. "Sol proximus ardet  
a Terra, atque aer lucis ibi radiis  
multum resplendet, multo nam densior aer  
nostro est." Mirantur prospiciuntque foras:  
Ut semper, caelum fusco fulvoque colore  
panditur atque albus, nummulus ut minimus,  
Sol pallet, tenuisque aer rubras et harenas  
nubes atque humiles per solum agit rapide,  
Solis lumine quae obscuro incertoque relucet.  
Caerula et in caelo Terra remota nitet,  
qua tam miri homines sola perreptare feruntur...  
Maioresne suos credere eos poterunt?

## **DISTICHA SEXTILIA MMVII**

**De Seminario Latino Cracoviensi diebus 28.7.-4.8. a L.V.P.A. et Societate Latine  
Loquentium Cracoviensi celebrato**

„Salve!", mi videor vocem audivisse Latinam;  
„Salve!", vox resonat clara - Latina etiam.  
Germanum sonat haec quiddam, sonat illa Polonum,  
Anglum sive Italum; undique nam populi  
omni ex Europa multi, iuvenesque senesque,  
millenni spatio incipiente novo  
prisca ut lingua avitae iam rediviva colatur,  
urbem in Cracoviam conveniunt veterem.  
Aedibus in ridens venientes Inga salutatur,  
aedibus in cunctos Barbara blanda manet,  
nubes supra altas per aera sive volantes  
fessi seu adveniunt tramine Cracoviam.  
„Gratulor!", hinc illinc sonat: ecce Diana Britanna,  
natalem quae hodie concelebrabit, adest.

Postera lux altam et fortem nos ducit in arcem,  
terribilis qua habitat flammivomensque draco.  
Cernimus ecce forum vetus ornatumque deinde,  
turri de excelsa concinit et tubicen;  
museum per magnum mox locuplesque vagantes  
miramur calices atque libros veteres.

Sunt prope Cracoviam et magnae veteresque salinae:  
sub terram ferimur perque profunda dein  
atque per occulta spatiamur, vadere quondam  
per quae fossores innumeri soliti.  
Supra nos salis et saxorum metra trecenta;  
ligna atque immensum sub pedibus spatium,

nigri deinde lacus obscura luce nitentes,  
quorum multa sales eluit unda solo.  
Insilias, sustentabit te aqua salsa profunda:  
nullo lymphæ modo mergere te poterit.  
Ex sale sunt parietes hic, quos pergimus inter:  
micæ albae candent; linge, salem sapiunt.  
Miramur fossas candenti in sale cavernas,  
sculptæ ubi magnificæ ex sale sunt statuæ.

Posthac Martinus cunctos, qui voce Latina  
numquam temptabant ante profari aliquid,  
adducit sensim lenteque ad primula verba;  
facundos et ego tempora in illa traho,  
frustra cum defendere nobilis atque senator  
Romanos cultus imperiique deos  
temptabat Christo tum Caesaribus dare tura  
iam dudum solitis atque preces humiles.

Mox Natalia pulchra venustaque carmina præbet,  
perlasciva dein nos Slavomira docet;  
non nimium lasciva tamen: non transit ad illa,  
quis corrumpantur forte animi iuvenum...  
Sermonem Anna docet quosdam Germana Polonum:  
spectant, mirantur, difficilesque sonos  
atque ignotos auscultant temptantque profari.  
Muti Germani dicimur a populis  
nos orientis; quam sit iustum hoc, sentio sæpe:  
pransura ancillam forte rogare volo,  
escam ut porrigat, illaque nescioquid respondet...  
ei mihi, quid faciam? Obsecro, Barbara, ades!

Barbara demonstrat, quos Austria magna Latinos  
gignit scriptores: Zythophilum perhibet,  
Chlorida, Alesium; animis intentis carmina eorum  
dum legimus, vates iam simul in vehiclo,  
longe qui a nobis creduntur abesse, sedentes  
Cracoviam veniunt, vespere et ante domum  
gaudens in gratos insperatosque sodales  
Barbara gaudentes incidit Austriacos.

Incumbentes doctrinae studiisque diebus  
vespere cauponis colloquiisque hilares  
noctem usque ad multam nos dedimus atque Latinis  
carminibus fruimur iam duce Gregorio.  
Gaudentes igitur, iuvenes dum sumus, in aula  
cantamus laeti; vespere sæpe etiam  
discitur atque agitur comoedia parva, sodales

delectaturi qua sumus: efficiunt  
naviter actores paene omnia, fabula nostra  
quis ornetur, sed - linthea deficiunt!  
Linthea, quis tunicati in scaenam progrediamur,  
qui inveniamus? Clam furibus et similes  
aedibus ex vespertina subducimus hora  
candida lectorum stragula; deinde tamen  
permittit ianitrix nobis tot sumere pannos  
- euge!- , quot volumus! Fabula pulchra fiet!

Cum festo atque epulis solito de more Lupano  
exit conventus, conveniunt famuli  
in scaenam Caesarque, homines sancti atque pagani,  
umbra atque occisi Romaque et ipsa venit.  
Dein fruimur vino, cantantur carmina, et adsunt  
Austriaci vates, qui recitant opera.  
Discessis dein cunctis tres remanent Martini,  
Austriacus, Sorbus, Cracoviensis ibi;  
multam usque in noctem vino zythoque fruuntur.  
Postera lux omnes in varias patrias  
omnemque Europam laetos gratosque reducit:  
pro „Salve!“ auditur nunc fere ubique „Vale!“.  
Omnes sunt animi pleni sermone Latino;  
lingua in perpetuum nostra utinam vigeat!

## **DISTICHA SEPTEMBRIA MMVII**

### **Praesagium de Birma futura**

En iam millenni vicesimus incipit annus;  
exiit ex Birma nuntius ille novus:  
Aung San Suu Kyi est inclita praeses mortua. Summo  
funus honore illi Birma hodie celebrat.  
Ex multisque duces veniunt terris, memorantur  
iam merita illius nunc iterum atque iterum:  
quam multos annos, patriae populoque libertas  
ut demum fieret, vincula pertulerit;  
ex captiva quomodo praeses deinde creata  
bis quinos patriam rexerit illa suam  
annos feliciter, populi ut levaretur egestas,  
navans usque operam. Divitiae ex oleo,  
venit quod peregre, redeuntes denique prosunt  
nunc populo: Ludum, scribere ubi liberi  
perdiscant, vel vicus nunc habet ultimus, ire  
non diti soli iam licet ad medicum.  
Sed tamen a nonnullis praeses carpitur illa:  
Fame premuntur adhuc multi homines misera;

astynomi, nummos sat multos si offeris illis,  
impune amittunt; multa puella facit  
paupertate coacta indignum corpore quaestum.  
Denique cur matri filius ipse decem  
successit post annos? Num regina videtur  
illa sibi, heredi tradat ut officium?  
Respondent alii: Cives illum voluere.  
Multa licet mala sint: Tertius et decimus  
pulso a dictatore annus modo nunc numeratur.  
Tam parvo miseram tempore quis poterit  
omnibus in rebus felicem reddere terram?  
Multo iam melius quis negat hunc populum  
vivere nunc quam crudeli regnante tyranno?  
Tranquillo exilio quod tamen is fruitur  
dictator sceleratus nec poenas dabit ullas,  
displicet - at nulli amplius ille nocet!

Sic utinam in Birma incipiat vicesimus annus!  
At fortasse ad nos nuntius hic veniet:  
Aung San Suu Kyi obiit captiva in carcere; laudes  
omnibus in terris nunc memorantur ei:  
quam multos annos, patriae populoque libertas  
ut demum fieret, vincula pertulerit.  
At tamen ipsa haec in patria captiva siletur;  
dicere non de illa qualiacumque licet.  
In plateas homines nunc multi exire conantur,  
collaudare illam, poscere iustitiam,  
impetrandae cui totam vitam ipsa dicabat.  
Mox sed permulti conveniunt milites,  
cives innocuos oppugnant, vulnera saevis  
infigunt armis; diffugiunt homines.  
Aung San Suu Kyi clam noctis tenebris sepelitur  
ignotoque loco, ne quis eam videat.

Haec aut illa manent Birmam venientibus annis.  
Libertas populo anne tyrannis erit?  
Quid sit futurum, decernitur hisce diebus.  
Frangat mox utinam vincula Birma sua!

## **Disticha Octobria MMVII**

### **De revocatione post LII annos facta**

Exanimis quondam oceani terraeque fuere  
orbe in primaevo. Nubibus in gravibus  
sulphura pendebant, ammoniacum atque methanum  
aequora namque super; aere pestifero

fulgura dissiliebant - hoc animantia viva  
 nasci qui poterant? Qui fit, ut impleat hunc  
 oceanum quondam exanimem nunc piscis et alga,  
 terras nunc herbae, bestia, silva, homines?  
 Harum percipiens *rerum cognoscere causas* (1)  
 vas olim in magnum fundit aquam iuvenis  
 sulphura commiscens, ammoniacum atque methanum.  
 Aequora deinde super fulgura multa iacit:  
 Iuppiter en parvus, regitur quo parvula terra.  
 Moxque suo cernit parvulo in oceano  
 apparere novae vestigia primula vitae:  
 Fons vitae inventus! *Felix, qui hoc potuit!* (1)  
 Mirantur multi: Exanimis num gignere vitam  
 materies potuit? Quaerere mox eadem  
 sulphuribusque et aquis, ammoniaco atque methano  
 alter commixtis post iuvenis voluit:  
 Non vita apparet. Scribitque et publicat inde:  
 „Non nasci vita ex exanimi potuit.“  
 Erravit, lector, scito; nam fulgura nulla  
 Iuppiter hic iacuit. Non sine fulguribus  
 vita potest nasci sane; micuisse frequenter  
 saepeque sed constat fulgura in orbe novo.  
 Primo, quae iuvenis conscripsit, vix legit ullus;  
 passibus et tacitis lustra decem fugiunt.  
 In patria illius nunc hi pollentque vigentque,  
 rerum qui causas noscere non cupiunt,  
 omnes sed poscunt antiquos credere mythos,  
 prisco narrabant tempore quos populi  
 mundo de nato mortalibus atque creatis.  
 Aevi non nostri more tamen cupidi  
 certa minutatim scrutandi facta fuere  
 olim homines veteres, immo hominum generis  
 naturam et mundi sic explanare volebant:  
 Quae sors est hominum? Fastigium teneant  
 quod quantumque in magno aeternoque ordine rerum?  
 Virtutes quales esse debent homini?  
 His mythi respondebant quaestionibus olim.  
 Aevo sed nostro dicere se esse pios  
 illi homines soliti, pro factis sumere mythos  
 qui malunt et idem cogere percipiunt  
 omnes credere; naturam si percipit ullus  
 nam mythorum, illis creditur esse nefas.  
 Hi cupide arripiunt, iuvenis quae scripserat errans:  
 „Non nasci vita ex exanimi potuit!  
 Euge! Suis igitur manibus Deus omnia fecit,  
 traditur ut mytho!“ Comperit ecce senex

auctor cum hoc, motus magno multoque pudore  
omnia, quae scripsit quondam, ea nunc revocat:  
„Fallebar. Nunc edita tollite, bibliopolae,  
quae scripsi iuvenis tunc sapiensque parum!“  
Ecce senex, potuit qui se erravisse fateri,  
quamvis grandaevus. Vos, quibus est pietas  
mentibus inflexis doctrinas credere falsas,  
spectate exemplum hoc mente dehinc humilil!

1. Verg. Georg. II, 490: „Felix, qui potuit rerum cognoscere causas“

## **Disticha Novembria MMVII**

### **De agri cultura in Europa divulgata (cf. Scientias)**

Ex Ephemeride: Scholares Britanni credunt agri culturam ob aquam surgentem in Europam pervenisse. Diluvio enim homines ex oris maritimis, ubi vixissent, pulsos in mediam Europam confugientes suum modum vivendi ibi divulgavisse.

Maribus ante octo milia annorum celeriter surgentibus multisque milibus hominum ex oris maris mediterranei et Ponti Euxini fugientibus agri cultura in Europa divulgata est. Hoc referunt Chris Turney Universitatis Exeteriensis et Heidi Brown Universitatis Wollongongiensis, qui perscrutati sunt, quomodo litora maris mediterranei et Ponti Euxini aqua surgente promota essent. In periodico „*Conspectus Scientiae Trimestres*“ („*Quaternary Science Reviews*“, vol. XXVI, p. MMXXXVI) scribunt plus septuaginta milibus chiliometrorum quadratorum terrae submersis multa milia hominum - inter quos etiam primos agricolas - novas sedes quaerere coactos agri culturam in Europa divulgavisse.

Liquescente glacie, quae ante plus octo milia annorum partem semiglobi septentrionalis tegebat, maria totius mundi triginta quattuor annis plus centum quadraginta centimetris aucta esse computaverunt. Antea Pontus Euxinus plus centum metris sub altitudinem marium situs lacus aquae dulcis fuerat. Aucto autem mari mediterraneo isthmus, qui ad Hellespontum lacum a mari separabat, fractus est, ut ingens unda aquae marinae in Pontum rueret. Multi docti nunc credunt hanc fuisse diluviem, quae in Sacra Scriptura narratur.

Paene eodem tempore agri culturam et figlinam in Europa subito divulgatas esse ex archaeologorum excavationibus apparet. Tunc media aetate lapidea (mesolithicum), qua homines se per silvas vagantes venando et frugibus colligendis alebant, exeunte recens aetas lapidea (neolithicum) coepit, qua agri cultura dominabatur.

Litoribus perscrutatis Turney et Brown aestimant triginta quattuor annis paene septuaginta tria milia chiliometrorum quadratorum terrae submersa esse et fere centum quadraginta quinque milia hominum sedibus pristinis emigrare debuisse. Ex excavationibus archaeologorum apparet ante diluviem iam vestustissimos modos agros colendi et opera figlina faciendi in usu fuisse. Mari celerrime surgente homines versus occidentem euntes scientiam et modum vivendi in loca importaverunt, ubi antea soli venatores vixerant.

Advenere homines hodie de gente aliena;  
en circum flammam ante casasque sedent.  
Convenere omnes: mulier, quae solis ab ortu



herbas atque nuces fragaque rubra legens  
dulcesque errabat per prata virentia bacas,  
seu quam per totum rivus et ripa diem  
inflexis genibus piscantem detinuerunt  
salmones, caneros et salares agiles,  
sive viri fortes, longe lateque vagantes  
vastam per silvam qui sequebantur aves  
atque feras varias, puerique hilaresque puellae:  
nam spectare omnes percipiunt homines,  
ex longinquo qui veniunt, audire loquentes,  
noscere, qua patria, quis proavis geniti,  
denique qua veniant peregrini sorte coacti.  
Felices hodie mane fuere viri  
venantes, namque hinnuleum cepere iuencum;  
parvus tam multis vix tamen is satis est.  
Iamiam vesper adest, auditur noctua caelo  
in silvaque lupi. Longius atqui hodie  
auscultant omnes circum flammam remanentes.  
Ecce proceri sunt peregrini adeo,  
fuscior atque cutis magis et nasi prominentes;  
fuscus, non niger, est ecce capillus eis.  
Allicit et visus mox ornatusque habitusque:  
Non formis variis sculpta ferina gerunt  
ossa, acubus parvis quae incisa decorat imago  
ursi sive aquilae sive lupi rapidi,  
non pendent collis ursorum dente catenae  
consertae multo, gloria visque viris  
per quas accrescant, pugnare ut fortius ursis  
mox valeant: ligni fibula bacaque eos  
exornat multa, splendens, pulchra atque polita,  
multus quam et varius tinxit ubique color.  
Vestes en etiam vario raroque colore  
grex gerit imbutas: Luteus et viridis,  
quin etiam viola tinctus vestitus eorum.  
Quales in silvis repperiuntur ibi,  
illi unde adveniunt, herbae, quae talia possunt?  
Et quam molles sunt, quam tenerae digitis  
pertractantibus hae vestes! Omnes stupuere.  
Iucundum sane et dulce gerentibus est  
vestitus tam mollis, sed num est firmus? Ubique  
scissae sunt vestes, grex peregrinus eis  
indutus postquam multis longisque diebus  
ibat per silvas. Bestia mira locis  
quae coria illis nam vivens tam mollia praebet?  
„Non sunt ex coriis“, advena dicit eis,  
„facta, sed ex detonsis contextisque capillis...“

Quidnam? Num, cum illis bestia capta fuit,  
 neglecto corio solos secuere capillos?  
 Comprendisse parum verba aliena modo  
 se credunt, haec qui audiverunt; grex peregrinus  
 nam more insolito et difficili loquitur.  
 Dicere quae nequeunt, nutu monstrant digitisque,  
 cuncta tenere tamen non facile est aliis.  
 „Ante lacus vivebamus prope litora”, narrant,  
 – undarum et motus assimulant manibus –  
 „perniciem horribilem miseri dum fugimus inde.  
 Vestro at non erat huic ille lacus similis,  
 immo tantus, ut oppositam non alteram aquarum  
 oram conspiceres umquam oculis...” Alii  
 mirantur: Vere esse potest num tam lacus ingens?  
 Talia narrabant, sucina ferre solent  
 qui terra ex longinqua illis conchasque nitentes,  
 quis se ornare duces saepe magique solent.  
 Salsus sed lacus illorum est – „Lacus ille etiamne  
 tam grandis salsus, dicite, vester erat?”  
 „Non erat olim; immo poteramus bibere lymphas  
 dulces inde diu; crescere sed rapide  
 vidimus en subito antiquasque excedere ripas  
 nuper aquam, cunctas obruit unda casas,  
 omnes circum oras animalia multa necavit  
 multos atque homines. Ecce superfuimus  
 perpauci nos; in montes confugimus altos,  
 vidimus horribilem litora diluviem,  
 silvas et campos, colles, florentia prata  
 devastare. Dies denique post aliquos  
 montibus ex ausi in planum descendere campum,  
 longe qui ripis ante remotus erat,  
 litora conspiciamus paene attingentia montes,  
 mortua et in prato bestia multa iacet.  
 Et duo mox homines extincti repperiuntur;  
 hos saltem miseros sic sepelire duos  
 contingit, nostros possent ut adire maiores.  
 Nunc sed adhuc alii multi in aquis fluitant  
 gratae piscibus escae. Nos autem sitientes  
 gustabamus aquam deinde lacus cupide,  
 salsam quam mirantes iam cognovimus esse.  
 Iam sedare sitim qui poteramus abhinc  
 quique famem? Nam cunctas nostras obruit unda  
 herbas...” „Dic, quantum”, scire cupit mulier,  
 „collectum vobis erat?” „Ah, multum: satis, usque  
 finem ad aestatis ne metuenda fames  
 ulli esset, rapidarum vis immanis aquarum

ni omnia mersisset... " Tantane copia erat?  
 Quomodo tam poterant multum conquirere? Silvae  
 tantane ubertas? Talia qui fieri  
 possunt? „Non in silva fruges", ait peregrinus,  
 „quaerebamus, sed semina post casulas  
 spargebamus, curabamus deinde per annum  
 arcentes volucres atque feras avidas.  
 Matura aestate ad finem vergente licebat  
 colligere omnia dein: hordea, tritica, far,  
 caulem, lactucas..." Iam nil comprehendere quisquam  
 nunc valet. Illa sonant verba aliena nimis!  
 Herbarum ignotarum ignota vocabula quaedam  
 esse videntur eis - sufficit! Advena dein  
 „Caprae quin etiam nostrae", ait, „omnes perierunt..."  
 „Caprae? Num carnis copia tanta etiam  
 caprinae collecta illic servataque vobis,  
 annum ut sufficeret?", cana rogat mulier.  
 Rident omnes; non ridentes at peregrini:  
 „Vivas dicimus." Hui, iamne iterum nova res  
 et mirabilis? „Sed si vivae, quomodo vestrae?  
 Qui dici esse hominum bestia viva potest?  
 Viva animalia per silvas camposque vagantur..."  
 „Nos autem vivos, credite, post casulas  
 saeptis inclusos capras haedosque tenere  
 usque solebamus; multa recensque caro  
 praesto semper erat nobis." „Ergo inde capilli...?"  
 „Inde capilli. Omnes namque capras hiemis  
 tondebamus fine..." Repente deinde puella:  
 „Demigrare loco qui poteratis eo,  
 tempus cum veniebat, quo migrare quotannis  
 esse necesse solet? Ducere namque modo  
 capras certe aliquo poteratis; quomodo tandem  
 cibi sed fertur tantus acervus? Humum,  
 herbae qua crescebant, hanc num denique cunctam  
 portabatis? Num terra relicta feris  
 alitibusque manebat?" Leniter et peregrinus  
 ridens respondet: „Cara, manere loco  
 semper eodem annum per totum nos poteramus."  
 Forte iocantur? Alii qui potuere homines  
 totum annum silva una eademque? Namque migrare  
 huc aestate, illuc deinde solent hieme  
 cervorumque boumque greges... „Silva quid opus nam?  
 Omnia erant nobis, diximus, ad casulas:  
 grana, holus et carnes..." et apertis oribus omnes  
 auscultant. Quales esse putentur ei  
 nam peregrini homines, quis silva non opus? Anne

diva arcano illis numina more favent?

Haec aestate ineunte fuerunt. Dein peregrini  
manserunt, vestes deposuere suas  
scissas, ex cutibusque novas firmasque fecerunt.  
Ornamenta illis lignea sed remanent:  
parva monilia et armillae variaeque catenae.  
„Lignatos“ igitur dicere eos alii  
mox consuescunt; „Dentatos“ contra peregrini  
illos appellant; viribus et validis  
totam aestatem iunctis hique illique venantur,  
fruges ex silva vir mulierque legunt  
in rivo et piscantur. Hiems deinde incipit acris,  
esuriunt misere, quattuor et liberi  
fame acri pereunt. Mox murmur Lignatorum  
primo oritur tacitus, deinde palam: „Misere  
vivimus hic! Utinam fruges sereremus, ut olim!  
Horrea plena essent et saturi liberi!“  
„Nugae! Vestris in terris miracula sane  
taliam forte fiunt; vivitur hic solito  
more sed et patrio!“, Dentati saepe reclamant  
irati. Sed hiems quo fit acerba magis  
quo magis atque fames omnes vexant et egestas,  
hoc magis incipiunt somnia fingere et hi:  
O si nunc nobis servarent horrea fruges,  
nulla impensa opera sumere quos liceat!

Vere dein cum ineunte liquescunt nix glaciesque,  
tres Lignatorum consilium capiunt:  
Unde advenerunt, sese aiunt velle redire,  
inde apportent ut semina, grana, cepas,  
hic quae deinde serant. Placet omnibus. Ingrediuntur  
tres iter, at longam post redit ecce moram  
unus; namque alter comitum laceratus ab urso,  
tertius horribili flumine raptus erat.  
Mirantes Dentati ridentesque deinde  
spectant Lignatos, qui baculis fodiunt  
summa cum cura terram, qui gramina vellunt,  
semina dein spargunt, cantica numinibus  
ignotis saltantes mirabilia cantant.

Proxima deinde venit frigida et acris hiems;  
nivosus capitur vix umquam bestia silvis,  
hoc anno atque iterum carne carent homines  
in casulis hibernis. Nunc illis tamen adsunt  
grana et caulis, quam salibus ante hiemem

multis imbutam servaverunt Lignati.  
Cuncta consumpta denique carne placet  
frumenti grana ex magno depromere sacco,  
quo servata diu. Grana manu celeri  
arripit ecce puella e sacco infarcit et ori.  
Protinus illa tamen respuit: Arida quam  
grana haec sunt, quam dura! Mordere lapillos  
credas flumineos. Culleus ex corio  
deinde a Lignatis capitur ridentibus, illi  
grana imponuntur, funditur ecce recens  
candida nix, mox pendet supra culleus ignem.  
Longam postque moram denique distribuunt  
pultem deinde usu multo longoque periti  
Lignati cunctis. Euge, cibo solito  
tam longum post tempus iam patrioque fruuntur!  
Dentatis tamen haec non placet esca nova:  
Mollem nam nimis esse, sapore carere queruntur.  
Famem sane levat, si nihil est aliud.

Nullus post casulas hieme hac infans sepelitur.  
Mox iterum spargent semina vere novo...

## **DISTICHA DECEMBRIA MMVII**

**Res vera (etsi mirabilis), quae mense Decembri anni MMVI in oppidulo Lotte in Germania occidentali sito accidit**

Filia pulchra Lyco (1) est, lepidusque est filius illi;  
saepe ferunt liberi gaudia magna patri.  
Ingrediente tamen cum hieme advenere quotannis  
natalis Domini tempora, laeta aliis,  
non gaudere Lycus poterat: cum munera danda,  
non laeta esse solent tempora pauperibus.  
Filia „Cur“, quererebatur, „non, miranda sodali,  
pernicior ventis per plateasque feror  
perque vias omnis, rotulatus calceus ornat  
dum plantam lepidus?“ Filius atque rogat:  
„Machina cur mihi non illa est, hostesve necandos  
non veros, vero mentem animumque metu  
afficientes quae assimulet currumve sagittae  
exhibeat similem, quem mihi ego videar  
per circum certans regere omnem, pollice dextro  
seu laevo leviter plastica puncta premens,  
victor deinde abiens?“ Pauper quid, munere dudum  
iam quaestusque carens, diceret his genitor?  
Tempore dein festi liberi doluere quotannis  
frustra speratis muneribus cupitis.

Anno milleni sexto curae tamen illae  
effugere; operi naviter ecce Lycus  
nunc namque incumbit: Purgamina sedulus urbis  
per plateas plaustris avehit imposita.  
Iam bona merces praebetur, congaudet et uxor:  
Euge! Pauperies denique victa Lyco!  
Festo natali Domini liberi adveniente  
congaudent: Anno hoc denique spes aderit  
ludicra, qualia habent alii liberi, accipiendi!  
Magna laetitia mox Lycus omnia emit,  
filia quae gnatusque diu frustra cupiebant:  
Mox gnatum atque patrem machina prima emitur  
delectatura et, monstret quas filia amicae  
miranti mirans, cum rotulis caligae.  
Pupas dein pulchras complures, parva vehicla,  
pilas atque libros multaque plura parat.  
Cuncta domum portantur; dona dein diligenter  
occulit in cella, ne videant liberi.

Iam festi ipsa dies illuxit, splendet et arbor  
ornata, atque epulas apparat ecce Lycus;  
in cellamque uxor descendit, munera ut ampla  
clam gnatos promat subque abiecte locet.  
Sed cellam intrans horret: Ubi sunt munera? Nulla  
iam videt. Exclamat, cuncta deinde Lycus  
comperit, atque vocatur custos publicus: „Eheu,  
e cella misero furcifer eripuit  
dona aliquis mihi, quae liberis praebenda celabam!“  
Custos quid faciat? Ipsi et erant liberi,  
et patris miseretur. Solis nempe dies est,  
nulla taberna patet, qua nova dona paret.  
Circuit omnes collegas: „Date crustula, amici,  
festiva, ut civi subveniam misero,  
vespere ne lacrimet liberi!“ Viridi capiuntur  
ursi ecce induti veste habituque duo  
parvis consimiles custodibus. Inde Lycumque  
uxoremque petit moxque fores veteres  
inspicit in cella: Nusquam vestigia furis  
inveniuntur. „Spes vix“, ait, „hic remanet.“  
Currum ascendit crustula eis ursosque relinquens;  
sollicitum sed habent et pater et liberi  
mentem eius. Quidnam sunt paucula crustula et ursi?  
Quid dicent liberi vespere iam miseri?

Dein cum pantopoli domino vicique magistro

disputat rem totam. Consilium capiunt  
miraturque Lycus: Nescit, quare iubeatur  
Solis adire die ostia pantopoli.  
Occlusam ante tabernam adsunt custos dominusque;  
intranat deserta et scrinia praetereunt  
escarum tunicarumque, ad puerilia deinde  
ludicra perveniunt. Pantopoli dominus:  
„En cape, quod libet“, inquit, „vici namque magister  
praebebit sumptum, nil hodie timeas!“  
Obstupet his verbis Lycus haesitat atque pudore,  
denique natorum iam meminit: miseri  
vespere quantum flebunt! Plenis extrahit ergo  
audacter forulis omnia, quae liberis  
emerat ante suo sumptu: caligas rotulatas,  
pupas et pilas, machina dein capitur,  
ludis quae variis gnato patrique parabit  
gaudia; muneribus denique onustus abit.

Vespere cum magna festum primum celebratur  
multos post annos denique laetitia.  
Exsultant liberi chartas donis removens,  
ursos et rident veste habituque duos  
custodum indutos. Festivaque cena sapivit  
anno non ullo, quam sapit hoc, melius!

1. Nomen Germanicum viri est Wolfgang; quod mihi aptissime nomine „Lyci“ reddi videbatur.

## **DISTICHA IANUARIA MMIX**

### **De Obamae proposito carcerem Guantanamensem claudendi**

„Mutamen!“ cupide conclamat America tota;  
omnis laetatur duce novo populus.  
Est Afer, tota patriam testante figura:  
Nigra et torta coma est, fusca colore cutis (1).  
Congaudent alii populi, quod munere cessit  
Arbustus, nulli qui prope carus erat.  
Ille duces alios nam verbis saepe superbis  
offendit; non ius illius intererat  
gentium ut respiceret, curabat foedera nulla.  
Nunc autem novus est dux, iuvenis, lepidus,  
iustus qui merito atque humanus creditur esse  
ac „mutamina“ nunc plurima magnaue vult  
efficere, in melius mutantur ut omnia. Gaudent  
omnes iam cives; iustitiamque homines  
omnibus in terris demum sperant redituram.

Sperant ante omnes multi Arabes miseri,  
vincula captivos in carcere Guantanamensi  
iam quos dura tenent tempora longa, licet  
esse ipsis custodibus insontes videantur,  
contra legem omnem nec sine terribili  
tormento nec contra ullo dicente patrono.  
Tale ab America atrox dedecus absit abhinc!  
Ecce novi primum decretum principis: Omnes  
mittere iam causas iudicem Obama iubet.  
Cessent tormenta, claudatur carcer et ipse,  
ducant inde reos mox alio milites,  
inquiratur ubi iuste et prudenter in illos,  
poenas et meritas denique quisque luat  
iudices nec iam satient crudeliter iram.  
Insontes abeant denique iamque diu  
ante negata iniuste libertate fruantur.

Suspirant patrias, crede, domosque suas;  
multis autem, quo cupiunt, nunc ire negatum,  
namque illic reduces altera vincla manent.  
Quo iam se vertant? Forte inquis: „America quidni  
omnibus his sedes hospitiumque fiat?“  
Sed non tam facilis res haec est, candide lector:  
Hostis habetur ubi, vivere quis poterit  
vicinos inter, qui illum oderuntque timentque?  
Nec vanus timor est, nam licet ante mala  
captivi nunc dimittendi nulla patrarint,  
sive gregum socii sive duces etiam  
perniciosorum per tempora longa fuere.  
Omnis America erat semper eis odio;  
nunc multo magis est turpissima vincula passis.  
Europae ergo illos recipiant populi?  
Cunctantur; nec enim pergrandis America sola  
his odio est: Etiam forsitan afficient  
ignivomis globulis mox Gallos sive Batavos...  
Multi aiunt: „Cura haec nostrane sit? Miseros  
dimissos homines modo America collocet ipsa!  
Ipsi exedite nunc fortiter haec eadem,  
ipsi quae vobis ante intrivistis, amici.“  
Respondent alii: „Claudere cum cupiat  
carcerem illum infamem, constanter iuvenus Obamam!  
Omni dignum est hoc propositum auxilio.  
Quin et nos igitur captivos excipiamus?“  
Haec sed parva est res: Scilicet hoc gravius  
est multo, non ultra insontes quod cruciantur.  
Dique hominesque omnes proposito faveant!



(1) Pseud.-Verg. Moretum 32-35:

Afra genus, tota patriam testante figura,  
torta comam labroque tumens et fusca colore,  
pectore lata, iacens mammis, compressior aluo,  
cruribus exilis, spatiosa prodiga planta.

(Ultimi duo versus mihi non ad Obamam referendi videbantur. ;-))

## DISTICHA FEBRUARIA MMIX

**De Nadya Suleman Californiana, quae nuper octo infantes simul pepererat, cum iam sex liberos haberet**

Vera mihique tibi que canatur fabula, Musa:  
in California erat femina maesta et egens,  
coniuge quae misere deserta ac relicta dolebat.  
In votis fuerat nam numerosa domus  
multis cum liberis... sed quidnam est tempore nostro,  
quod non arte nova efficiant medici?  
Ignoti mulier concepit semine fetum  
in gremioque tenet mox hilarem puerum.

Vix infans coepit *risu cognoscere matrem* (1),  
mater cum cupide rursus adit medicum:  
"Tam lepidus, tam pulcher", ait, "mihi filius ope  
auxilioque tuo est: nunc iuva me, oro, iterum!"  
Quoque deinde anno nunc infans nascitur illi  
patribus ignotis; denique sex liberi  
angustas alacres clamant curruntque per aedes.  
Sed quaestu atque viro cum genetrix careat,  
quonam tanta modo, dic, denique, turba novella  
sustentabitur haec? Nam licet auxilio  
adsit matris mater, difficile est tamen: aegre  
lecti tam multis sufficiunt liberis;  
non est mensa capax cunctis, cibi capiuntur  
vicibus alternis; concipere at genetrix  
mox rursus desiderat, ut sit septimus infans.

Ut semper, fetus inserit idem utero  
nunc medicus complures, saltem ex omnibus unus  
gaudentis matris mox cubet in gremio.  
Quantum autem medicus miratur, cum videt omnes  
vivos et validos ex utero genitos!  
Octo sunt; gaudet genetrix, irascitur illi  
– quippe operam metuens – tot liberorum avia.  
Primum vix septennem, bimos esse gemellos  
ingemit illa: "Omnes sane ego amo liberos;

cur sed nil parcit matri mea filia fessae?  
Octo cur genuit nunc etiam? *Modus est*  
nonne et in his *rebus*, non *certi denique fines* (2)?"

"At desiderium", filia, "semper erat  
large impleta domus dilectis, mater, alumnis.  
Ipsa ego sola fui; non erat una soror  
seu frater, mecum ludis communibus aequae  
qui gauderet, quem participem facerem  
omnis secreti..." Fortunae poena paratur  
num tibi nunc, avia? "Gnata sit una satis",  
dicebas quondam, "plures curare molestum est."  
Quattuor infantes, cogita, vel modo tres  
olim si genuisses, nunc non turba nepotum  
bis septenorum esset alenda tibi.  
"O ne quid nimium", scimus veteres monuisse;  
haec sed verba minus cognita: "... neve parum!"

(1) Verg. Ecl. 4, 60: Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem.

(2) Hor. Serm. 1,1, 106: Est modus in rebus, sunt certi denique fines.

## **DISTICHA MARTIA MMIX**

### **De vestigiis geneticis interpretandis sive de nimia spe in artibus novis posita**

Ante duos annos modo prandet publica custos  
in vehiculo placide nilque mali metuens,  
cum infesta ipsius feriunt iuxtaque sedentis  
collegae capita tela repente duo.  
Panes de manibus tacite labuntur, et arma  
eripiuntur eis - denique cum veniunt  
custodes alii illuc conspiciuntque sodales  
exanimes, horrent: tam potuisse cito  
tamque audacter eos, ulla sine voce, necari!  
Testes non ullos inveniunt sceleris;  
nemo, quamvis luce palam plateaque frequenti,  
conspexit quicquam. Callidus arte mala,  
hoc quisquis commisit, erat scelerumque peritus.  
Spes tamen restat, ubi deficiunt oculi,  
nuper in arte nova: Bacula ecce tenella feruntur;  
non digito maius plastico et ex rigido  
in medio quodque est, tenera lanugine molle  
finibus extremis. Hisce vehiculum igitur  
tergunt, ut videant, restet minimumve salivae  
latronum in curru cellula sive cutis.

Nec quaerunt frustra: inveniunt vestigia pauca,

non quae ignota illis femina liquit ibi.  
Summo cum studio iam multos quaeritur illa  
annos; eius enim saepe locis scelerum  
apparent vestigia: Latrocinia, furta  
facta ubicumque fere sive homicidia sunt,  
adfuit haec. Fluvium ad Navam grex strangulat aevo  
grandem latronum saevitia vetulam  
summa: Mortifer en laqueus circumdatur eius  
plus decies collo ferreus et tenuis.  
Sic qui hominem occidunt, immotis mentibus atque  
intrepidi occidunt. Hic etiam mulier  
haec eadem adfuit, hic vestigia repperiuntur.  
Quid? Tam crudelis femina qui poterit  
credi umquam? Quaerunt custodes acriter illam  
multi multa opera. Qui tamen inveniant?  
Notum est vix quicquam: Germanane an peregrina,  
an procera, humilis, flavane fuscane sit,  
aevo grandior iamne sit an virguncula parva -  
haec de illa apparent sola iterum atque iterum:  
Intrepida est immotaque mens, audacia summa  
atque incredibilis saevitia - sceleri  
forsitan a parva iam est innutrita puella,  
inde nihil magni furta, homicidia ei?

Non aliis similis latronibus esse videtur;  
nam modo gallinas ex stabulo rapuit,  
commissa est modo nex. *Varium et mutabile semper  
femina* (1) - tam varium qui tamen esse potest  
una eadem mulier? Marium vestigia ubique  
inveniunt etiam, non tamen idem homines  
bis umquam socii sceleris feminae esse videntur.  
Haec ergo mulier non gregis unius est,  
sed modo se latronibus his, deinde applicat illis.  
Paulatim exquirunt paucula, plura tamen:  
Fabas ut curet floresque, Moguntiacensis  
ecce senex hortum mane sub urbe petit.  
Cum casulam intrat, ubi servatur parva supellex,  
horret: Irruptum est! Fracta fenestra, fores  
ecce patent late, scriniis ereptaque mala  
vasaque rupta iacent, crustula morsa videt:  
Dormiverunt hic quidam! Custode vocato  
constat paulo post: Adfuit haec mulier.  
Forsan sede domoque caret, casulis alienis  
noctem ut degat? Acus parvulo in oppidulo,  
heroina cui feminae et vestigia adhaerent,  
inventae: Indulget talibus illa igitur

deliciis? Mox omnes heroina rogantur  
sumentes - nullus novit eam - iuvenes.  
Prognatam vestigia demonstrare videntur  
Slavis de populis esse genetica eam;  
qua tamen ex terra? Non quaeritur acrius umquam  
latro femina ea sive homicida. Tamen  
nusquam ipsam inveniunt. Nam quodcumque videntur  
paene tenere illam, labitur e manibus  
*effugiens oculos celeri velut umbra volatu.* (2)  
Custodes quotiens ex scelerum sociis  
quaerunt de illa, omnes respondent: "Femina? Nugae!  
Quid vis? Nobiscum femina nulla fuit."  
Sicine eam metuunt? Num femina saevior omni  
est latrone viro? Terribilis mulier!

Est mulier quaedam frugi, bona, sedula, pauper,  
suscipit in fabrica continuo quae operam.  
Iam pridem Slavam patriamque domumque reliquit,  
quaereret ut tenuem finibus in Bavaris  
victum; ergo baculos alba lanugine factos  
multos hic annos sedula iam digitis  
involvit foliis. Haerent vestigia sane  
illius in baculis: cellula sive cutis  
paullum seu sudoris. Custodesque deinde  
utuntur baculis, facta ubi sunt scelera,  
quaerant ut vestigia: Latrocinia, furta  
facta ubicumque fere sive homicidia sunt,  
apparent vestigia paucula feminae eiusdem.  
Saeva, crudelis, terribilis mulier!  
Multos post annos nunc demum apparuit error  
custodesque omnes non minime puduit.  
Utilis esse potest ars illa genetica sane,  
ne tamen, oro vos, omnia credite ei!

(1) Vergilius, Aeneis 4, 569/570

(2) Ausonius, Mosella 90: *effugiensque oculos celeri levis umbra natatu*

## **DISTICHA MAIA MMIX**

### **De maxilla in caverna palaeolithica inventa**

Ex Ephemeride: In maxilla infantis Neanderthalensis homines docti vestigia cultri lapidei viderunt. Opinantur Homines Sapientes eum infantem ante triginta milia annorum edisse.

Ossa in spelunca Regum (Les Rois) inventa diu putabantur ossa Hominum Sapientium. Unam autem maxillam Ferdinandus Rozzi anthropologus in „Periodico Scientiae Anthro-

pologicae" scribit Neanderthalensis hominis fuisse. In ea maxilla vestigia cultri apparuerunt.

Scintillant tremulae flammae tenebrasque cavernae  
collustrant; umbrae saxea per latera  
ut vivae volitant. Hominum circumdatur ignis  
ecce caterva; omnes unum iterum atque iterum  
una voce sonum summisso murmure cantant  
- una modo tacita est - , tympanaque et leviter  
lignea nunc pulsantur lenteque ossibus ursi.  
Sensim ex murmuribus cantus opacam oritur  
antri surgens ad cameram crescensque. Citato  
pulsu tympana iam clarius et resonant,  
tibia lugubrem tollit super omnia vocem,  
incipiunt cantus ecce modis homines  
sensim aptare gradus numeris paribusque moveri.

Multis terra antri pellitur iam pedibus,  
calcantur soleis, quae obscuro paucula crescunt  
gramina sub saxo. Ecce regit mulier  
exornata chorum pennis et vertice summo  
ora gerens aquilae lignea, tincta rubro.  
Splendet rostrum ingens flammaram luce tremendum,  
spectant maiores paene hominum manibus  
candidi acresque oculi. Saltant vehementius omnes;  
cantu inflammatis excidit ex animis  
cura omnis: Stomachis fugiunt ieiunia, tigris  
nemo iam meminit, cuius heri ad caveam  
viderunt vestigia pressa; hominumque et odoris  
ignotorum, quem nuper ad iuniperum  
percepere timentes - quam multi illi alieni,  
o di, quam validi? - immemores penitus  
nunc sunt omnes. Nocte hac iam nihil esse videtur  
flammaram nisi lux, tympana pulsa, voces  
cantantes, saltantia corpora, luce repleta  
quae modo resplendent, atra modo tenebris  
umbrosis miscentur. Femina, quae ante tacebat,  
nunc etiam saltat cornicis atque ululat  
voci voce pari, quae commiscetur amara  
cunctorum cantu dissona acuta gravi.

Albior est aliis, compacta humilisque, recedunt  
frons mentumque, oculos grande supra tamen os  
prominet. Ecce chori nunc dux postremo ex antro  
pellem affert, in qua cranium et ossa iacent.  
Omnes ossa eadem tollebant nocte priore

cum cantu ex fovea, qua macie atque fame  
fine hiemis consumptam composuere puellam.  
Mansit posthac dux sola, sacro lapidis  
cultro de ossibus ut carnem resecaret avitis  
ritibus arcanis. Acrius iam mulier,  
fronte recedente insigne gnatae caput atque  
maxillam fortem cum videt, exululat.

Acrius et plorantque lamentanturque sodales,  
atque recordantur tamque puellae alacris  
tamque hilaris, cunctis dilectae, quae genetrici  
non nimium similis: Membra procera, sua  
quasi matrem habuisset natam eademque caterva,  
nec tam nasus ei planus et amplus erat  
quam genetricis, vox et acuta minus neque lingua  
tam rudis, absona tam. Barbara mater enim  
non umquam recteque videtur posse profari  
iam pulchreque sonos, saepe licet socii  
voces perquam illi demonstrarint patienter,  
multos ante annos cum abripuere grege  
illorum, qui non humana voce loquuntur,  
sed corvi ut crocitant - nec faciunt acubus  
vestes consutas calidas nervisque ferarum,  
pellibus involvunt horrida corpora sed;  
quin etiam ignorant, quidnam sit calceus: isti  
nudis incedunt frigora per pedibus - ;  
virginibus nam fecundis tam grex liberisque  
tempore egebat eo, spes alia ut melior  
nulla maneret eis. Aquilae nunc cum grege Magnae  
haec vivit longo tempore iam mulier;  
sagum habet, atque pedem consutus calceus ornat;  
venatura feras oblitit et faciem  
argilla, ut faciunt omnes; arcu atque sagittis  
patribus ignotis utitur ecce suis;  
maxima sed nunc spes illamque gregemque fefellit:  
progenies remanet nulla superstes ei.

Defodiuntur humo infelix caput ossaque parva,  
herbis omnia dux deinde tegit magicis,  
omne puellae anima malum ut absit. Voce genetrix  
alta deplorat filiolum misera,  
altis vocibus omnes deplorantque puellam,  
spem gregis, et deflent. Cantica maestitia  
summa surgunt et lacrimis miscentur acerbis.

En simul ante specum serpit homo in tenebris;

mox alii accedunt. Aliena caterva videtur  
hisce locis: Profugi finibus ex aliis  
quaerentesque novas allecti denique sedes  
hac sunt ubere iam valle, ferae et volucres  
multae ubi cernuntur. Nutu taciti digitisque,  
ut venatores, bestia nulla potest  
quos audire, loquuntur: Nunc invenimus illos,  
hic qui habitant! Noctu tympana canticaque  
percipientes non frustra surreximus! Euge!  
Huc redeamus cras ante crepuscula clam,  
aggrediamur eos! Iam nostra haec vallis, amici,  
cras erit! At secum cogitat alter: ei  
tam multi esse videntur! Numqui acri sine pugna  
tam laetisque locis tamque bonis fugient?  
Perculit ecce animum brevius, quam micat ocellus,  
horrendum quoddam: Nuncne repente homines  
illos aggrediamur? Nocte hac ritum agitantes  
vim nullam metuunt... Intremittit ipse simul:  
Umquam tale nefas mentem in potuisse venire!  
Quodquod numen adest his coliturque sacris,  
hoc numquam patietur inultum. Lingua, faveto!

Rursusque antrum ad idem luce nova veniunt,  
intranct caute: Num quis adest? Tutum est: Neque tigris  
imminet hic nec homo. Deinde vident sub humo  
defossum esse aliquid nuper: Num praeda recens est?  
Ipsi etiam carnes sedibus in patriis  
sub terra sic dentibus a naribusque ferinis  
olim occultabant. Effodiunt avidi:  
Assa erit illa caro? Primum cernunt tamen herbas  
ignotas quasdam. Defodiunt homines  
herbas hic? Quam mirum! Apparent denique et ossa -  
ossa hominis! Quid est hoc? Terribile attonitus  
iam quoddam aspicit unus; vox iam faucibus haeret  
horrore adstrictis - ecce! Manu tremula  
parvam ostendit maxillam, spectantque sodales:  
Quid? Brevis et crassa est; forsitan ille fuit  
deformis, loco eo quem defodere infantem?  
Nonne bonum potius signum habeatur? Eis,  
hic qui vivunt, numina non favisse videntur.  
Denique, quid sit tam terribile, ecce vident:  
Rimae in maxilla apparent! Num culter abrasit  
carnes? Infantes grex vorat ille? Nefas  
horrendum! Devota est haec vallis! Fugiamus!

Cum revenit Magnae vespere Grex Aquilae,

ignotorum hominum vestigia cernit in antro  
multorum timidus - et, nefas horribile,  
ex terra effossa exstinctae sunt ossa puellae,  
herbae dispersae sacrae et ubique iacent!  
Hoc fecere homines an daemon? Talia possunt  
numqui audere homines? Hisce manere locis  
iam nullo atque habitare modo poterunt. Fugiendum est!  
Horrendo incolitur - clarius ecce patet  
iam solis radiis - infesto et daemone vallis.

Arbore sub silvae postera nox agitur;  
prima luce novas ad sedes ingrediuntur  
longum iter et durum. Deinde relicta iacet  
fertilis haec vallis, vallis tam plena ferarum;  
iam numquam hic audent vivere abhinc homines.  
Conveniunt mammothi grandes, rhinocerotes  
hirsuti, dammae: Ubera pabula nam  
hic crescunt, crudelis nec tamen imminet hasta  
sive sagitta. Homines saecula in omnia abhinc  
hosce locos metuunt; mirantibus ecce parentes  
enarrant liberis: Fertilis est, pueri,  
vallis quaedam et laeta, fruges multae ubi crescunt,  
bestiae errant multae - fallit amoena tamen  
vallis: Numina talem nam fecere maligna,  
esset ut allectis pessima perniciēs  
mox hominum gregibus. Devotus nam est locus iste:  
Ossa aevo prisco rite sepulta hominis  
sunt ex terra effossa ereptaque more nefando.  
Enarrant simul haec atqui alii liberis:  
Vallis laeta est, sed devota est daemone, namque  
infantum carnem tempore prisco homines  
osse abrasam, ursorum ut, manducare solebant...  
Nostro errare aevo dicitur esse hominum;  
nostri sed non tantum, ut credo, aevi esse videtur.  
Hoc solaciolum non aliquantulum erit?

## **DISTICHA IUNIA MMIX**

### **In Ephemeridem quinque annos natam**

„Et iam completrat genitor sua fata novemque  
addiderat lustris altera lustra novem" (1),  
taliam grandaevo de dilecto parente  
Tristi in carmine ait Naso poeta suo.  
Fortunate senex, tam longa aetate licebat  
perfructari olim quod tibi, non fueris  
Musarumque artis licet cultor neque fautor,



„Maionides nullas ipse reliquit opes - “,  
dixeris et gnato, „studium quid inutile temptas?“ (2)  
Non ullis poenis hoc tamen Pierides  
mites et faciles multarunt. Nonne puellae  
quinquenni nostrae, quae artibus ingenuis  
Phoeboque et Musis iam nunc tam sedula servit,  
longius olim aevum lustraque plura dabunt  
divi? Nonne faventi dique deaeque faventes  
grandaevae olim anui non modo lustra novem  
addent, saecula sed, priscum cultumque Nasonis  
sermonem et Tulli amplius ut provehat  
omnes per mundi gentes, Tullique nepotes,  
praeclarum Latium nunc quibus incolitur,  
Tuscia seu Campanus ager sive Umbria amoena,  
Gallos atque Dacos, quique alii imperio  
Romano subiecti victorum cupiebant  
moribus humanis mox similes fieri,  
extremae necnon per gentes barbariei:  
Australes, Brasilos, per frigidam et Canadam,  
terras, quae imperii Romani tempore nusquam  
exstabant; nam tunc partibus ecce tribus  
orbis constabat terrae, Africaque Asiaque  
Europa et nostra, fluctibus Oceani,  
ultra quos nihil esse potest, circumdatus amplis -  
non, dico, huic tribuent saecula multa dei,  
omnem per mundum quae vocem sedula Tulli  
sic iuvat? Ex quo infans parvula nostra eloquens  
in lucem genita est, lustrum feliciter egit  
unum; plurima abhinc floreat ac vigeat!

(1) Trist. IV, 10, 77-78

(2) Trist. IV, 10, 21-22

## **DISTICHA QUINTILIA MMIX**

**Quomodo mercator latronem ad fidem converterit (res vera, quae Novi Eboraci accidit)**

Nox erat et placida in terram descenderat umbra,  
fulgebant caelo sidera et innumera.  
Emicat e tenebris splendentibus ecce taberna  
lucernis: gratus nocte etiam, emptor, eris.  
Solus post mensam stat perlustrans rationes  
mercator Mahomet, vir probus atque bonus,  
Bactria quem genuit quondam multosque per annos  
grandis America nunc accipit hospitio.

Ecce repente irrumpit homo fortis validusque  
et tollit clavam: „Aes mihi trade cito!”  
Exhorret Mahomet. Quid nunc? Non carior aere  
vita salusque omni? Sed licet ipse bonus  
pacificusque sit ex animo, non totus inermis  
umquam est: sub mensa fortia tela iacent,  
quae non versu apta, at clava longe potiora.  
Arripit haec Mahomet, pertimidusque latro  
concidit in genua et lacrimans: „Ignosce ruenti  
praecipiti in crimen! Stulte ego, confiteor,  
sane egi, sed quid facerem? Vivo sine quaestu,  
nummi deficiunt, esuriunt liberi...”

Latronis miseret Mahometum. Nonne propheta  
olim homines monuit, semper ut auxilium  
pauperibus miserisque darent? Non restat in arca  
lucrum non parvum? Extrahit et misero  
ecce quater denos latroni porrigit ultro  
nummos: „Ecce tibi!” Obstupet ille. „Deus”,  
ait Mahomet, „iussit semper nos esse benignos  
ore prophetae. Quid? Nonne, propheta Dei  
quae iussit, fidenti animo servare debemus?”  
„Tales”, ait latro, „ille propheta facit  
vos Mahometanos? Iurare in verba prophetae  
eius et ipse volo! „Assecla vis fieri  
iam Mahometi? Vere?” „Vere!” „Haec modo verba  
dic et tolle manum: Non deus est alius,  
inque, Deum praeter, Mahomet eiusque propheta est.”  
Haec iterat latro. „Gratulor!” ait Mahomet.  
„Panem sume tibi nunc; certe esuris, amice.  
Lac quoque vis? Aderit!” Exit, ut afferat. At  
cum revenit, latro iam nullus adest. Fugitne?  
Fugit. Quid refert? Omnia, quis opus est,  
ut vivat, Mahomet antehac iam tradidit illi:  
aes, panem atque Deum. Sufficit. Iam valeat!

## **DISTICHA SEXTILIA MMIX**

### **De Seminario LVPAno Vindobonae acto**

Adproperate omni e mundo, quicumque Latinam  
diligitis linguam, sive eloquentia iam  
admirabilis est vobis doctisque magistris  
facundisque, rudes sive modo pueros  
atque puellas vos propylaeis magna Latina  
aedis suscepit, conproperate avidi!  
Vindobona, urbs praeclara, vocat, vocat Austria cunctos,

qui navare volunt linguae operam strenue  
Tullique et Flacci; vocat affinesque Bohemos,  
vix binis horis qui domibus veniunt,  
Hungariaeque, suos non iam, cives spatioque  
seiunctos, lingua consimiles, fluvius  
Rhenus quis bibitur; veniunt comitante magistra  
praetextati Itali, multi alacres pueri  
atque puellae Romani sermonis amore  
allecti, quos mox comiter Inga monet,  
hospitii ne tecta ascendant neve fenestris  
insideant, noctu sitque quies placida -  
sunt pueri pueri, pueri puerilia tractant!

Atqui non nimium mox alacres iuvenes  
esse apparet: Tranquilli placidique cubamus.  
Una nocte tamen, lectulus iam cum homines  
dulcis habet fessos et somnia multa Latina,  
aedes perstrident en subito sonitus:  
O di, quid factum est? Ignisne est ortus? Apertam  
omnes aufugiunt in plateam pavidi.  
Accurrunt vigiles ignem exstincturi; ubi cernunt  
non ullum esse, abeunt; ianitor et revocat  
omnes, qui exspectant nocturnis, pauca tenentes  
arrepta in manibus, vestibus ante domum.  
In conclavi aliquis forte accendit cigarillum?  
Tranquillis imus nunc animis cubitum;  
illi etiam redeunt, qui multi saepe vagantur  
aedes per totas, fibula multa quibus  
vesti affixa monet multis linguis „Vigilate!“  
– nulla Latina tamen fibula cernitur, heu!  
Testes sunt Jehovae; grex longe esse amplior ille  
apparet nostro - Vindobonaene agitant  
conventum talem, quos concelebrare frequenter  
sectae hominum illius milia multa solent?

Nos vigilamus nimirum: Linguaeque Latinae  
priscis et scriptis naviter ecce operam  
dantes audimus, Germanus quae Genuensis (1)  
nuper in antiqua repperit urbe sua  
aedibus et muris inscripta Latina; locorum  
multorum laudes et varias legimus:  
Crucius (2) Austriacus nobis, urbs Lentia quondam  
est descripta quibus, versiculos perhibet;  
Hungara Vindobonae laudesque magistra Latinas  
exponit; narro, composuit quae Italus  
de capite olim Westfaliae, cum sordida cernens

attonitus primum barbarica atque loca  
lamentatus versibus est multis querulisque.  
Kafkae fabula quin versa Latine etiam  
auditur; doctos dum reddit Iulia docta  
plus etiam doctos arte mathematica,  
Barbara discipulos iuvenes facit ecce poetas:  
Gustavere modo qui Ausonium labiis  
sermonem primis, docuit componere versus.  
Anna animos cantu vespere dulcisono  
implet; dum redeo *sola sub nocte per umbram* (3),  
in platea stantes ecce Italos video  
discipulos, cantantes laetis atque Latinis  
vocibus atque aptis gestibus - *ecquid agunt?*

Carnuntum lustramus, visitur amphitheatrum,  
Romani quondam miles ubi imperii  
multus sese delectabat; splendida deinde  
villa urbana omnes aedificata manet,  
olim qualis erat: Sunt mensae et scrinia facta  
more ex antiquo; dulcia mala iacent  
apposita in mensis; spectamus: Nonne peribunt,  
nemo si capiet? Primus eis digitos  
sensim cauteque admovet, arripit, inde  
audet mox alius; malaque cuncta vorant  
denique cuncti. Contenti dein pergimus illuc  
et satiati, ubi nos vina novella manent.

Asterigis quondam, superatis ille periculis  
in vicum cum ibat, concelebrare epulas  
vicini Galli sub divo nocte solebant.  
Consequitur morem hunc et LVPA nostra: Epulas  
et convivia agit semper conventibus actis -  
non sub divo, eheu! Valde igitur cupiunt  
omnes aula in plena hominum auras frigidiores.  
Post cenam in scaena, composuit quae Italus  
de capite olim Westfaliae multis querulisque  
versibus, apparent; deinde Itali iuvenes  
cantant et saltant, ex Anna quae didicere,  
magno cum risu plausibus et meritis.

Multa nocte dein discedimus, atque sequente  
luce alii redeunt in varias patrias,  
atque alii remanent ultra. Inde valete, sodales,  
et qui venistis partibus omnibus huc  
ex mundi, et dantes tecta hospita Vindobonenses,  
donec nos rursus castra Latina vocent!

(1) Nolite mirari: Silvanus Mertens Germanus Genuae in Italia munere magistri fungitur.

(2) Dr. Gottfried Eugen Kreuz (= Crux), magister universitatis Vindobonensis

(3) Verg. Aen. VI, 268

## PROFECTAE DE PROFECTURA

**Carmen in tramine ferriviario conscriptum de puella Graeca a parentibus ad Sappho magistram missa**

Surge, puella! Parata tibi sunt omnia: peram  
in portum allatam naucula parva tenet,  
albaque iam vento panduntur vela secundo,  
urgent iam nautae, murmurat unda alacris -  
surge, puella! Relinque urbem petasata paternam,  
extremumque "Vale" accipiant genetrix  
dilectusque pater, fraterculus atque sorores;  
comprime iam lacrimas: cuncta parata tibi.  
Surge, puella, audacter! Ne fle, quod linqenda,  
ludere ubi solita es parva, paterna domus:  
non iam parvula abis, mox nubilis inde redibis,  
quo nunc navigium te petasumque feret.  
Surge, puella, animo fortis! Mox accipieris  
a maiore domo; altera porticus iam  
sparget fessae aestu iucunda frigora et umbram,  
incumbes telis sedula nunc aliis.  
Arte brevi maiore tapeto intexere formas  
callebis raras et modulare vocem  
ad citharae lyraeque modos, saltare venustis  
disces gramina per florida mox gradibus.  
Ritibus arcanis te denique clara magistra  
imbuet, ut mulier deinde, matura viro,  
in patriam redeas, cum sponso mox abitura -  
surge, puella, inquam! Fata maiora manent.